



ORATIO PANEGYRICA I.

sive

ACTUS PRIMUS PROMOTIONIS
MAGISTRO RVM,

IN QVO

Præsentibus

ILLUSTRISSIMO AC CELSISSIMO HASSLÆ PRIN-
CIPE AC DOMINO, DOMINO

LUDOVICO,
HASSIÆ LANTGRAVIO, &c.

Aliisq;

ILLUSTRIBUS AC GENEROSISSIMIS
COMITIBUS, &c.

NOBILISSIMIS ITEM, MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS,
*Reverendis, Clarissimis, Consultissimis, Excellentissimis, lectissi-
misq; Viris;*

CASPARUS FINCKIUS, LOGICES

Professor publicus in Academia Giessena,

Verba fecit

*De Antiquitate, Auctoritate, & Dignitate Philosophorum, & Phi-
losophia MAGISTRO RUM,*
Simulq;

XXIIX. Honestissimis & doctissimis viris, MAGISTERTI
Gradum solenniter contulit,

*Altero statim post solennem Privilegiorum Academicorum
promulgationem die,*

Anno M. DC VII. IIX. Octobris.



GIESSÆ, Typis Nicolai Hampelii, Typog. Acad. 1608.



ILLUSTRI

DN
HASSLE
IN CA

li
Ac
64



diuinae
ram, p[ro]p[ri]e, h[ab]e
licitate Polyc
rem, et tr[an]sp[ar]e
tis in Christi
p[ro]p[ri]e: in nos p[ro]
mer: Excudit
ob: comitat[us]
i: amno Sacrif
lancor[um] t[er]m[ini]
m[er] p[er]tinet
In: St. Ac
f[er]t C. T. erga
t[er]m[ini] eade[m] dig
reduc[er]e p[er] ar
quod C[on]f[er]u
m[er] p[ro]uilegiu

ILLUSTRISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI,
AC DOMINO,
DN. LUDOVICO,
HASSIÆ LANDGRAVIO, COMITI
IN CATTIMELIBOCO, DE CIA,
ZIEGENHAINA ET NIDDA, &c.

Patri patriæ amantissimo,
Literarum & literatorum patrono benignissimo,
Academiæ Giessensæ fundatori munificentissimo,
Dn. suo Clementissimo.

Salutem ac perpetuam felicitatem à Christo precatur.



Votiescunq̄ue recordor, Illustrissime & Celsissime Princeps, Dn. Clementissime, (recordor autem sepiissime) pium ac Christianum C. T. Zelum in propaganda vera & sincera religione, in augenda, amplificanda & exornanda nostra Academia; toties ex animo gaudeo, & tacite apud mentem meam voveo, ut divitissime & felicissime ad gloriam divini nominis, ad Ecclesiæ emolumentum, rei q̄q̄ literaria ornamentum super sis: Ut nobilitate Cecropem, ut felicitate Polycratem, ut opibus Cræsum, ut copiis Xerxen, ut victoriis Casarem, ut triumphis Pompejum precedas. Olim omnes P. R. ordines quotannis in Curtianum lacum ex voto stipem jaciebant pro salute Caesaris Augusti: ita nos pro C. T. salute longè rectius cum Rege & Propheta precamur: Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Jacob: mittat tibi auxilium de Sanctuario, & de Sion tueatur te! Memor sit omnis Sacrificii tui, & holocaustum tuum pinguescat: tribuat tibi secundum cor tuum, & omne consilium tuum confirmet: impleat Dominus omnes petitiones tuas, exaudiat te de Cælo Sancto suo in fortitudine dextera sue, &c. Ac quidni sic precaremur Princeps Celsissime? Majora enim sunt C. T. erga nos, & totam adeo patriam præclara merita, ut vix atq̄ ne vix quidem digna laudum rependere possimus præconia! Quanti nos facere illud putas (ex plurimis enim beneficiis hoc unum commemorare libet) quod Celsitudo T. Scholam Giessenam primum erexit, erectam amplissimis privilegiis & immunitatibus donavit, donatam maximis sumptibus

EPISTOLA DEDICATORIA.

conservavit: & paulo post etiam Sacram Casaream Majestatem (cui vitam, victoriam, salutem & perpetuam felicitatem assiduis votis precamur) cum Illustrissimo ac Celsissimo fratre, ac Dn. Dn. PHILIPPO, Hassiæ Landgravo, Dn. meo Clementissimo, advit. privilegia Academiae amplissima impetravit, nobis vel Satana fremdente hæc oria fecit; & deniq; urbem hanc patriam meam dulcissimam, imo totum orbem religionis & literarum beneficio ornavit, cumulavit, beavit, ut idem nunc mihi dicere liceat, quod ille de Roma sua (quanquam non sine adulatione) gloriatus est: Urbana nunc est Giessa, & sine affectationis nota urbana: gravis est Giessa, & sine rusticitatis labe decenter gravis: religiosa est Giessa, & sine superstitionis nota pie religiosa; prudens est Giessa, & sine calliditatis nota sincere prudens: deniq; quicquid adversarii nostri hæcenus contenderunt & adhuc contendunt Giessam esse, id totum liquido jam juravero Giessam non esse: objiciunt scdam esse, nitet castitate: irride commentum: vociferantur esse superstitiosam; splendet religione; contemne convitium. blasphemant sentinam esse improborum: est asyllum bonorum: detestare blasphemiam. o fortunata nata Giessam! scilicet hoc opus est pietatis tua, Princeps Optime, cujus hoc præmium accepisti, ut solus ea consequi possis qua omnibus aliis negata sunt, veluti olim Olympio Principi dixit Gregorius Nazianzenus. Nec dubito porro Deum gratia sua nobis affuturum, quicquid etiam hostibus suis nequa persuadeat genius, ut de piarum scholarum contemptoribus loquitur Berolus l. 3. neq; remoram faciet adversariorum feritas, Anatomicorum impunitas, Climatetricorum dicacitas, philosophorum crassa subtilitas, Meteorologorum procacitas; quoniam a partibus nostris Deus est, qui facit voluntatem omnium timentium nomen ejus, ut apud Psalmographum legitur. Erit, profecto erit tempus, quo obretatores calumnie aut falsæ criminationis convincantur, myrica coronati per urbem circumducantur, ut manifesto civibus appareat eos ad extremum nequitia gradum pervenisse, id quod à Charonda legumlatore celeberrimo sancitum legere est apud Diod. Sic. l. 12. Sed quò abripior? Edidit, Invidiosissimi, Augustissimi ac Serenissimi Romanorum Imperatoris, Dn. ac Dn. Rudolphi II. Sc. filia, Academia tua LUDOVICE Princeps, altero statim post solennem & tanto Principe verè dignam Academicorum Privilegiorum promulgationem die, factum primulum, viginti scil. atq; octo in philosophia Magistros. Hos solenniter & rite à me promoveri in frequentissimo conventu Celsitudo Tuacum compluribus, Illustribus ac Generosissimis

EPISTOLA DEDICATORIA.

ssimis Comitibus, Nobiliss. Ampliss. & undiquaq; doctissimis, Clariss. spectatissimisq; viris, vidit & audivit. Istum Panegyricum actum publici ut facerem juris rationes habui plurimas; ut verò eundem C. T. inscriberẽ, causa non fuit nulla: Imitandos enim mihi proposui Agricolas, qui Dominis suis frugum primitias in signum debita observantia offerre solebãt. Cum igitur Academia tua hic fructus sit, isq; primus, cui congruentius offeratur quam Illustrissimæ Tuę Celsitudini? Diodorus Siculus lib. 1. annotat quicunq; apud Græcos sapientiã extiterint & doctrinã celebres, scholis id Egyptiorum acceptum esse referendum: At nos tibi potius, nipote Academiae fundatori & conservatori, omnia studia nostra, omnes profectus, & addo, omnes etiam laborum Academicorum fructus, offerimus, adscribimus. Itaq; ut finem dicendi faciam, Illustrissimam T. Celsitudinem humilimã animi subjectione oro, ut literarium hoc munusculum, quamvis ingentibus erga nos meritis longè impar, benignè acceptare, nostram Academiam, ut hætenus, paterno affectu prosequi non dedignetur. Hæc est summa mei capitũ voti, patrię pater Illustrissime. Dabam Giessa in Museo meo, Anno 1608. die 1. Mensis Augusti.

Illustriss. T. Celsitud.
Subiectissimus

Casparus Finckius Logices in Academia patria Profess. Ordinarius.





DECANUS
FACULTATIS PHILOSOPHICÆ
IN NOVA ACADEMIA GIESSENSA,
M. CUNRADUS
THEODORICUS,
PHILOSOPHIÆ MORALIS PROFESSOR
Ordinarius, nec non Pædagogiarcha, suo &
Dn. COLLEGARUM nomine,

OMNIBUS ET SINGULIS LECTURIS S. P.


SI quæ in benè cõstitutis Rebus publicis honorifica, utilia & laudabilia sunt, Scholarum certè Publicarum Erecciones, Conservationes, & Amplificationes erunt. In his enim non tantùm sincera Religionis summa capita incorruptè proponuntur; Linguarum principia perspicuè traduntur; Artium humaniorum studia dextrè explicantur, & pietatis atq; virtutum semina teneris mentibus fideliter instillantur: Sed publica etiam honorum præmia conferuntur iis, quorum & eruditio publicè explorata, & morum integritas præ aliis commendata. Quæ quidem graduum insignia, non inania sunt vel otiosa spectacula, præter leuem exigui temporis oblectationè, aut vanam aliquam gloriolam nihil præ se ferentia; neq; etiam ambitionis & superbix nocifera fomèta, sed diligentix & laudis, qua omnes, juxta Ciceronem, ad studia incenduntur, frugifera sunt incitamenta, quin & quædam quasi septa atq; repagula, intra quæ illi, qui studiis sese dederunt, continentur, ne latius evagentur, nevé sine pennis, quod ajunt, volare, aut remis velisq; remotis navigare consentur: sed modestè de se sentiant, ordinemq; in discendo justum attendant, quo neglecto, ut aliis in rebus omnibus, ita studiis quoq; rectè nihil, nihil laudabiliter, feliciter nihil inchoari, multò verò minus continuari, & ad exoptatum devolvi scopum potest. Meritò ergò divinis laudum præconiis prædicandus erit Illustrissimus & Celsissimus Princeps
ac Do-

PROGRAMMA.

ac Dominus, Dn. LUDOVICUS *Dei gratia Hassiæ Landgravius, &c.*
 quod charissimam nostram Patriam, dulcissimo, veluti Pindarus de
 bono Principe loquitur, Gratiarum rore rigavit, dum divino Spiri-
 tus sancti afflatu motus, avito sincerae Religionis zelo percitus, pa-
 terno Patriæ amore inflammatus, & Divinorū Prædecessorum Lau-
 datissimorum heroico exemplo excitatus, in Illustri hoc Principatus
 sui Propugnaculo, Scholam, pietatis, artium, & virtutum officinam
 instructissimam, liberaliter primùm aperuit, apertam verò, divinae
 rerum omnium Moderatricis providentiæ assistentiæ, & RUDOLPHI
 II. Imperat. semper Augusti, &c. Auctoritate & clementiâ, laudabili-
 ter Privilegiis Academicis, præter plurimorum spem & expectatio-
 nem ita amplificavit, ut celeberrimis Imperii Romani Universitati-
 bus annumerata, omnibus & singulis earundem Immunitatibus libe-
 re uti & frui possit & debeat: Pro quo divino planè beneficio, &
 amplissimo Patriæ nostræ Ornamento, justum omninò & æquum
 est, ut DEO ter Opt. Max. supremo Moderatori; Invictissimo Impe-
 ratori, augustissimo Largitori, Illustrissimo Principi, benignissimo
 Fundatori, devotis precibus immortales gratias agamus: Cum verò
 inter Immunitates hæc Academicas, vel præcipua sit publica in sin-
 gulis Facultatibus Graduum honorum collatio, gravissimo sanè Ma-
 jorum consilio in omnibus Universitatibus prudentissimè sancita, &
 utilissimè hæcenus observata: Eandem etiam Illustrissimus noster
 Princeps in hanc Celsitudinis suæ Novam Academiam salubriter in-
 troduci, & religiosè observari voluit: Ac proinde in augustiorem
 Introductionis Academicæ Solemnitatem, singularem item Faculta-
 tis Philosophicæ honorem & dignitatem, altera à Publicatione Pri-
 vilegiorum Cæsareorum die, Publicum Promotionis Magistrorum
 Philosophiæ Actum solenniter institui & celebrari clemētissimè de-
 mandavit. Quod igitur Academiae huic Novæ, Ecclesiæ, Politicæ, ad-
 eoq; universæ Patriæ nostræ felix, faustum & salutare esse velit æter-
 nus Deus, ad proximam diem Jovis, quæ erit Octobr. VIII. com-
 munitibus Collegii Philosophici suffragiis, Superiorum auctoritate
 interveniente, publico, eoq; primo Actu XXVIII. honestis & do-
 ctis Viris-Juvenibus, ob insignem eruditionem & morum integrita-
 tem sufficienter antè exploratam & commendatam, Summum Phi-
 losophiæ Gradum *Magisterii* nimirum Titulum & dignitatem cō-
 feremus. Quapropter omnes omnium Ordinum & Facultatum Do-
 ctiores,

PROGRAMMÄ.

dores, Magistros & Professores officiosè rogamus, Studiosos verò & reliquos Academiae Cives amanter invitamus, & hortamur, ut horâ prædictâ diei ante meridiem septimâ in Templo Urbis frequentes convenire, publicam hanc Actus nostri festivitatem, præsentiam suâ non solum exornare, eaq; suum erga Dn. Candidatos totumque nostrum Collegium, animum propenium ac benevolum declarare: Verum etiam Novam hanc Academiam, Ecclesiam & Rempubl. piis suis precibus unâ nobiscum Deo ter Opt. Max. devotè commendare velint. Clementissimus Pater Domini nostri JESU CHRISTI summus Scholarum Auctor & Conservator, Illustrissimum Principem, nutritium nostrum benignissimum, sub umbra alarum suarum diu sospitem & incolumem conserveat & protegat, Academiae dulcissima halcyonia tribuat, tam docentes quam discentes in eadem cumulet, eosq; Spiritu suo Sancto regat, ut ea tantum doceant & dicant, discant & agant, quæ Ecclesiae salutaria, Reipubl. utilia, Academiae honorifica: ut ita verè *πηγή καλών*, fons omnis boni, pietatis & honestatis ejusdemq; auspiciis felix, incrementum felicius, complementum felicissimum esse possit. P.P. Octobr. die 4. qua ipsa ante annos XCV. B. Lutherus Theologiae Licentiatas in Academia Wittebergensi publicè renunciatus est: Eobanus verò Hessus Poëtarum sui seculi Princeps ante annos LXVII. placidè in Christo obdormivit. Anno ACaDeMIæ noVæ GIESSenæ cIdcVII.



Errata. p. 1. lin. 11. hæc verba: Consiliiarii Illustrissimorum nostrorum PP. l. post hæc, Dn. præfetti. p. 4. lin. 15. pro *Catena*, *Casena*. s. l. s. dicunt l. dum. lin. 28. dele punctum, & pro *audire* l. *Auditores*. 7. l. 18. perfectio l. profectio. 13. l. 27. aliud l. illud. 21. l. 14. T. l. F. 22. l. penult. dele & 23. l. 11. de prædicatione. 25. l. 20. del. punct. 46. v. 4. *ihroni*. p. 54. v. 2. *inquillium*, & c.



ORATIO I. PANEGYRICA.

DE AUTORITATE ET ANTIQVI-
TATE PHILOSOPHORUM, ET PHILO-
SOPHIÆ MAGISTRORUM.



I coram aliis verba mihi facienda essent; *Illustrissime ac Celsissime Princeps, Dn. LUDOVICE, Domine clementissime; Patrone ac Mæcenas noster benignissime; Illustres ac Generosi Comites, Magnifice Dn. Rector; Strenui, Nobilissimi, Reverendi, Amplissimi, Consultissimi, Prudentissimi ac Spectatissimi viri, Consilarii Illustrissimorum nostrorum PP. Dn. Commendatores ordinis Teutonici; Dn. Præfecti, Dn. Doctores, Professores, Pastores, Senatores, & hospites quotquot adestis spectatissimi, inq. studiosorum concio nobilissima & lectissima: Si, inquam, coram aliis verba mihi facienda essent, quàm iis, qui & autoritate, & judicii, ingeniiq; acumine perspicacissimo præditi sunt; equidem animo non perturbarer, sed totis viribus id agerem, ut honestissimâ quadam voluptate, non aures modo, sed & animos ita titillarem, suavissimè delinirem, ac delicatule bearem, ut facere viderer illud, quod secūdam elegantissimum Turnerum Oratoris est proprium, rem cum verbis, verba cum pedibus, pedes cum affectib. affectus cum figuris, singula cum omnib. tam aptè contemperarem, ut res verbis vim, pedibus sanguinem, pedes affectibus motum, affectus figuris methodum, singula omnibus decori admirabilem speciem imprime-*
A rent.

rent. Sed ô me miserum ! quæ me, ô bone Christe, undique quasi faucibus premunt & opprimunt angustia: quocunq; enim oculos meos converto, video auditores Illustrissimos & Generosissimos, penè dixeram semideos : intueor viros quâ genere, quâ natalium splendore, quâ pietate & summa eruditione præstantissimos : & quod me omnium, maxime commover, adesse illos, qui noverunt orationem elegantem secundum artis amussim librare, periodis vincere, in quadrum & quincuncem redigere; instar Demosthenis; dictionem liberè sponteque fluentem edere; more Isocratis; flosculos interspergere, ornamentaque dictioni; ex instituto Ciceronis; nervos colligere firmamentaque argumentorum; ex schola Platonis: Eloquar an fileam? Idem mihi accidere videtur, quod Demostheni olim contigit & Ciceroni. Quanquam enim Demosthenes amaret fufurum ac populi digitum in se intentum: timuit tamen Æschinis, & reliquorum è schola politorum judicium. Cicero ad populum sæpè, & magnâ quidem ambitione, Asiaticâ suâ eloquentiâ tonabat, fulgurabat: at cum coram Brutis & Camillis diceret, dici non potest, quàm timidè, quàm meticulosè, quàm periculosè dixerit: Est enim, ut ille dicebat, in magnorum virorum non solum judiciis, sed etiam oculis, vis quædam divina latenter implicita, quam & antiquissimi & disertissimi oratores timuerunt. Quid igitur ego, cum recensitis hisce oratoribus minimè comparandus, faciam? num in solenni hoc conventu, qui ideo institutus est, ut *xxix*. honestis & eruditis Juvenibus, supremi in philosophia honores distribuantur, elinguis ero? num voluntati & jussui venerandi nostri Collegii philosophici refragabor? an verò illotis manibus ad id, cujus gratia conventus hic institutus est, accedam? Magnus hoc prohibescat Deus. Etenim cum omnis mea oratio eò dirigenda

genda sit, non ut ego orner, sed ut alios ornem; non ut mihi libem eloquentiæ laudem, sed ut virtutis laudem derivem in alios, tantum abest, ut Brutos & Camillos timeam auditores, ut potius ex animo gaudeam Brutos mihi hodie & Camillos obtrigisse auditores, imò non temerè glorier ex hodierna celebritate tantum splendoris accessisse nostræ Academiæ, quantum olim Scholis Romanorum accedere videbatur, cum Claudius Imperator ipsis artium Dd. & Magistris nec speratus, nec opinatus obreperet. Dicam itaq; & ea de re dicam, quæ præsentī huic nostro negotio est accommodata, videlicet de *Dignitate, antiquitate & autoritate philosophorum & philosophiæ magistrorum*, idq; non tantum in gratiam eorum, qui quale animal magister sit, ignorant; sed etiam contra eos, qui hunc virtutis & honoris gradum ex alto despiciunt, omnis generis sannis ac obtreccationibus excipiunt, philosophos sandaliis explodunt, distortis naribus irrident, plus æquo subsannant, & nihil intermittunt, quod aliquid ad deprimendam illorum auctoritatem facere potest, aut posse saltem videtur: Ita tamē dicam, ut & temporis auditorumq; rationem habeam, ac sequar pariter Athenesium illum, qui cum coram Philone verba faceret, cogitavit illum esse absentem, ne tanti viri cogitatio medium sibi dictionis filum intercideret, vocēq; perorantis interciperet. Sat exordii: sat narrationis: faveto Deus in unitate trine, in trinitate une. Vos verò *Illustrissime ac Celsissime Princeps, Domine Clementissime, Illustres & Generosi Comites, Domini clementes, Magnifici, Nobilissimi, Reverendi, Consultissimi, Clarissimi & Spectatissimi viri*, ut æquis animis adesse velitis, auresq; mihi benevolas concedatis, humilimā subjectione, ac eā quā par est, observantiā oro, quò felicius munere meo perfungi, & orationem ad propositum scopum deducere possim.

Jam ut hinc mea egrediatur oratio, operæ-premium est initio, quæ sit istorum, qui Philosophos & Magistros nostros exhibent, oratio, cognoscere: Philosophi, inquiunt, ejusmodi homines sunt, qui, ut Persius loquitur,

*Obstipo capite & figentes lumina terra,
Murmuratum secum, & rabiosa silentia rodunt;
Atq; ex porrecto trutinantur verba labello,
Ægroti ventris meditantur somnia, gigni
De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.*

Ab sit ab sit, clamant malè feriati isti derisores, ut talis effecupiam, ut inclinato capite, philosophorum more, incedam, oculos in terram defigam, homines in salutatos præteream, cogitando & meditando tacitè mecum murmurum, inflatis buccis & porrectis labiis verba trutinem & ponderem, præter *Barbara Celarent Darapti, Felapton, Catena, Cageti fedanes, Hebare, Gedaco, &c.* doceam: præter inanes nugas & inania philosophorum somnia, nihil sani proferam, nihil commodè differam. Quid enim aliud sunt philosophi quàm morosophi? quid oratores quàm aratores, quid physici quàm phtisici? quid optici quàm scoptici? quid Ethici quàm Ethnicici? & quid philosophiæ ac artium magistri quàm sophisticationum & nugarum ministri? quàm *Calmenferi*, quàm homines de schola, Germanicè *Schulbucher*? Et quid philosophorum libri aliud habent, docent, proponunt, quàm ineptias, somnia, deliria, quæ nec profunt discipulis, nec obsunt nescientibus? Atq; hanc ob causam philosophi negliguntur, posthabentur; præferuntur autem Theologi, Jurisconsulti, Medici: Hi plenis buccis laudantur, ad omnia convivia invitantur, quando philosophi panem atrum ex jure hesterno deglutiunt: illi caballis ingrediuntur, rhedis vehuntur, cum philosophi equis Apostolicis, hoc est, per pedes ire coguntur, juxta illud:

Ind: *Baldus equo vehitur, vehiturq; Arvicenna quadrigis; Solus philosophus cogitur ire pedes.* Famelici, & ut Aristophanes appellabat, nudipedes philosophi abdomen suum explent, non cibis delicatis, non carnibus ferinis, sed suillâ, ratò bovinâ, rarissimè vitulinâ, dicunt interim Dd. Quæstores, Prætores, & reliquorum statuum homines delectantur ferinâ. *Nulli philosophi cervinâ carne fruuntur, soli Doctores vescuntur carne ferinâ, soli quæstores cervinâ carne fruuntur.* Adde, quod philosophus sæpe ea, quæ ante pedes sunt non videt, non animadvertit. Itaq; irrifus ab ancilla Thressa Thales Milesius dicitur, quod nocturnis intentus syderibus, in puteum deciderat: *Stulte, inquit illa, ô Thales, cælum videre studes, qui non videris quod erat ante pedes.* Adhæc Agrippina illa Augusta Neronem filium dicitur ob id à philosophiæ studio revocasse, quod inutilis esset imperantibus. Domitianus urbe philosophos atq; Italiâ pepulit, nullum ob crimen, nisi quod philosophi erant. Athenienses cicutâ Socratem sustulerunt. Civitas Antiochia maledictis insectata & cavillis est Romanum Principem Julianum, nihil ob aliud, nisi quod erat philosophus, ac barbam, quæ insigne veterum philosophorum erat ornamentum, nutriebat, &c.

Hæc ferè est eorum, qui studia nostra contemnunt, oratio. At quis tam patiens esse potest, quin cum Cicero exclamet: *O tempora, ô mores!* Sicine rem agier oportebat? sicine philosophos traduci conveniebat? sicine philosophiæ & artium Magistros exhibitari expediebat? Non patiar, non feram, non sinam. Perlustrate mecum. Audite philosophorum officia, omnesq; officii philosophici partes, Magistrorum dignitatem inspicite, antiquitatem eorum considerate, dispeream, si non vana omnia, ficta omnia, falsa omnia esse, quæ in philosophorum contemptum dicunt, liquidissimè deprehendetis! Equid

quid enim est philosophus? quid, nisi sapientiæ studiosus? rerum divinarum & humanarum sciens? Quis veri falsiq; scientiam tradit? tradit philosophus. Quis dividendi, definiendi, argumentandi, disputandi rationem tenet? tenet philosophus. Quis rerum principia & causas tractat, quomodo quidq; gignatur, quomodo intereat, edisserit? philosophus. Quis præscribit quid in vita faciendum sit, quid omittédum, quomodo cum Musis tuis possis in portu navigare, clauso malorum carcere regnare, ad clavum cathedræ sessitare, sentinam malæ vitæ exhaurire, animum bono cultu induere, rationis tholos floribus excolere, sermonis dona elaborato ingenii partu ampliora efficere: Certè philosophus. Vis omnia confunderè? tolle philosophos. Vis cælum cum terra commiscere? remove philosophos: Vis omnia in pejus ruere? exulare jube philosophos: Vis Theologiam, Jurisprudentiam, Medicinam pessum ire? aqua & igni interdicit philosophis. Quicquid Medicus elaboravit, quicquid experientia observavit, quicquid sensibus comprobavit, illud acceptum fert philosophis. Quicquid Jurisconsultus bene conformavit, secundum artis normam dedolavit, acceptum fert philosophis. Quicquid Theologus bene disputavit, solidè refutavit, acceptum fert philosophis. Quod mundus est sine sole, quod thalamus est sine prole, quod regnum est sine Rege, Respublica sine lege, quod universum est sine Deo, hoc, hoc sunt omnes facultates sine philosophorum prævia institutione. Animadvertit hoc *Baldwinus*, qui nullum unquam fuisse ait, aut elegantis ingenii, aut magnæ notæ Jurisconsultum, qui Juris studio non adjunxerit vel philosophiæ nervos, vel politiciæ literaturæ cincinnos: Et *Turnerus* scribit, quòd audiverit puer à Boëtio Eppone magno certè Juris antistite, Cujacium, si quid supra reliquos fuisset, id per Aristotelé fuisse:

se: nec unquam fore, ut ullus aut sit, aut videatur Cujacius, qui in disciplinis Ethnicis ipsis juris notis & insignibus penitus non fuerit contritus. De Medicina & Theologia res ita liquet, ut solis radio scripta videri possit, ut Tertulliana phrasi utar. Non attingam jam philosophi vitam, quæ talis est; ut solus philosophus dicatur felix: Nam ut politè differit *Angelus Politianus*: Si tunc felices fumus, cum bona adsunt nobis plurima, sed adsunt ita, ut & profint: nec profint autem nisi utamur: benè autem ut utamur, sciëntia una facit; scientiam autem philosophia vel affectat, vel possidet; profectò ut felices efficiamur, philosophandum est. cæteras autem res humanas ut viles, ut pusillas, ut minutas despicit philosophus, sua curat, & reliqua turbæ hominũ fordidæ relinquit. Themistodes ille dux Magnus cum cæsas à se in littore Barbarorum copias inspectaret, monilia fortè quædã & armillas aureas jacentes conspicatus, præteriens ipse comiti cuidam suo monstravit: & tolle, inquit, illa tibi: non enim tu es Themistocles; ita perfectò rebus humanis & caducis abstinet philosophus ut vilibus, ut parùm se dignis: adeoq; interdum nescit ea, ut etiam nescire se nesciat: peregrinatur enim semper illius animus & multa levatus aura, quasi ille Dirceus Horatii cygnus, tendit in altos nubium tractus, ac cœli terræque mensor & naturæ conscius, dum totum longè & latè circumspicit orbem, effugiunt curas inferiora suas.

O igitur vitæ philosophos gubernatores! ô virtutum omnium parentes, vitiorum omnium expulsores! Vos estis mei philosophi actionum Magistri, Domini affectionum, vel Quintiliano iudice: philosophia vestra ex Varronis ore, naturæ est ornamentum, gratiæ fundamentum; secundum Arnobium flos divinitatis, secundum alios Reipubl. forma, animi anima, Theologiæ manus, Medicinæ

oculus, fons Jurisprudentiæ: Vestrum est, falsas opiniones diripere, inanitates amputare, errores circumcidere; Vestrum est, vitiorum fibras evellere, stirpes elidere, semina extinguere. Vos disciplinas omnes illustrastis, res augustas amplificastis, obscuras explanastis: vos dubia declarastis, certa demonstrastis, vera confirmastis, falsa confutastis: vos animum nostrum ab inscitæ rubigine mundè perpurgastis, radices nativæ cæcitatæ fibrîtus evulstistis, honestissimâ quadam voluptate titillastis, instarq; Helices & Cynosuræ viam veritatis commonstrastis: vos res confusas disposuistis, disposita judicastis, judicata in Sacrosanctæ veritatis succum & sanguinè convertistis, in quadrum & quincuncem redegeistis. Hæc scilicet causa erat, cur Claudius Imp. inter ipsos artium Dd. esse & conspici volebat: hæc causa erat, cur Imp. Augustus majorem in modum carum haberet Peripateticum philosophû Nicolaum: hæc causa erat, quòd idem Augustus Alexandrinis hostibus victo M. Antonio ignoscere se dixit, propter conditorem Alexandrum, propter urbis elegantiam, & propter Arrium philosophum amicum, quem secum manu ducebat, ut testatur Plutarchus: hæc causa erat, cur Philippus Macedo, ut annotat Plutarchus in Apophteg. Alexandrum filiû juberet, ut audiret Aristotelem, & philosophiæ vacaret, ne, inquiens, multa admittas, quorum nec admissorû pœnitet, Et Gellius *lib. 9. cap. 3.* refert dixisse Philippum, se ex animo gaudere, nō tam quòd Alexandrû genuisset, quàm quòd eo tempore nasci contigisset, quo possit ab Aristotele imbui optimis præceptis institutisque philosophiæ. De Alexandro filio ejus, re & nomine magno, quid dicâ: Questus ille, utrûm plus amaret Philippum parentem, an verò Aristotelem philosophum & præceptorem: pro Aristotele pronuntiavit, quando quidem à patre tantum vitam haberet,

beret naturalem, à præceptore verò moralem rectè vivendi rationem. Idem Aristoteli sumptus & omnia necessaria suppeditavit, ut cognosceret & cōscriberet libros de historia animalium, quos hodieq; magno cum fructu legimus. Patriam etiã ejus Stagiram, oppidulum cæteroquin obscurum & ignobile, & propè dirutum & eversum, Philippus Macedonũ rex, ut ait Plutarchus in Alexandro, vel ut scribit *Plinius lib. 7. c. 29.* Alexander Magnus Aristoteli gratificaturus instaurari & ornari jussit. Quid? quòd idem Alexander Magnus Corinthi, cùm Diogenem, aliàs philosophum sordidum, & ob id Cynicum appellatum, vidisset, ex præclarâ indole sua amplexus, stupensq; ejus animum & celsitatem: Nisi inquit, Alexander essem, Diogenes esse velim: felicitatem penè dixerim, inquit Plutarchus, splendoremq; & potentiam suam ut virtutis obstaculum, quod tantum distringeret gemmatus & æmulus vile pallium & manticam: quòd his invictus Diogenes atq; inexpugnabilis esset: non ut ipse armis, equis & sarissis. Atqui integrũ erat ei philosophiam sectanti, atq; animi habitu fieri Diogeni, simulq; fortunã manere Alexandro: atq; ideò Diogenes magis quàm Alexander rex erat: quòd adversus ingentem fortunam, quæ vehementi vento & fluctibus agitabatur, multa opus habebat saburrâ & gubernatore magno. Dies me deficiet, auditores, si fortissimos Imperatores, tot Principes, tot nobiles, qui philosophos amoverũt, & philosophiæ gloriã excelluerunt, enumerare instituã. Nã & Epaminondas Thebanorum dux, autore Diodoro Siculo lib. 15. fortitudine & rei militaris peritia, non solùm conterraneos suos, verùm etiã alios Græcos omnes multum excelluit: quoniam omnium propemodum disciplinarum cognitionem habebat: præsertim autem Pythagoricæ philosophiæ præceptis imbutus erat, adhæc physicis

speculationibus veram operam navarat. Quid illa imperii Romani propugnacula, Scipiones, Lucullos, Fabios, Marcellos, aliosq; innumerabiles proferam, quos non tam bellicis laudibus, quàm philosophiæ studiis præstantes fuisse, historiæ abundè testantur? Non attingam Juliū Cæsarem, de quo dubites, majorne bellator an philosophus fuerit? Brutus autem quanto amore philosophos eorumq; libros foverit, inde colligere est, quòd eà ipsà nocte, quæ mortem ejus antecessit, Platonis Dialogum de immortalitate animæ aliquoties legisse dicitur. At quid aliundè juvat exempla arcessere, cùm suppetât domestica, eaq; clarissima: Cui non notum est, quanto favore Philosophorum & Magistrorum ordinem amplectatur, præsens, Illustrissimus ac Celsissimus Princeps ac Dominus, Dn. LUDOVICUS, &c. dum non tantum in nos omnes, sed & in singulos philosophiæ & magisterii nostri Candidatos beneficia longè maxima contulit, & adhuc confert: sed etiam philosophis & magistrorum solenni promotioni, & publicæ renunciatiōni clementer interest, & principali suâ autoritate ita exornat, ut perpetuam animi gratitudinem, humilimam subjectionē libenterq; meritoq; debeamus, offeramus, spondeamus. O divine Plato tuū est aureum illud & præclarum effatū: tu enim dicere solebas, tum demum respublicas beatas fore, cùm eas aut philosophi cæpissent regere, aut qui regerent philosophari: tuum hoc sapientissimum oraculum Illustris hic Illustrissimorum & Illustrium, Nobilium & Clarissimorum virorum confessus, honorificentissimâ suâ præsentia confirmavit, comprobavit. O igitur philosophorum & Magistrorum dignitatem amplissimam! Vide enim mihi eorum ætatem; sunt antiquissimi: vide auctoritatem; sunt splendidissimi; vide famam; sunt celebratissimi: vide nomen; sunt omni literarum, & literarorū præconio

conio dignissimi. Valeant valeant igitur qui philosophos
 vocant morosophos: facessant, qui vocitant magistros nu-
 garum & fabularum ministros; abeant, qui philosophiæ
 professores scurrili voce despiciunt; discedant, qui phy-
 cos phthificos, oratores aratores, Ethicos Ethnicos, Medi-
 cos mendicos appellant: Ego sic statuo, philosophis &
 magistris nihil esse dignius, antiquius, divinius, & in repu-
 blica literaria utilius. Verum enim verò sunt qui orationi &
 commendationi meæ portas claudere conantur: Arbitror
 enim multos apud animum suum cogitare, vera quidem
 esse quæ dixi, de philosophis, an autem idem de magistris
 dici debeat ac possit, magnum quantum dubitant. Ego ve-
 rò A U D. liquidò ostendam, ea quæ de philosophorum di-
 gnitate & autoritate dicta sunt, illa ipsa de magistris rectif-
 simè dici. Dic enim amabo te, mihi, quid magister est aliud
 quam philosophus, & quam aliam ob causam in hoc bra-
 beuterium concessimus, quam ut philosophos creemus?
 Philosophus ille est, qui habet cognitionem omnium ar-
 tium liberalium. At qui habet cognitionem artium libera-
 lium, annon ille Magister dicitur, & ut hoc nomine dignus
 publicè renunciatur, proclamatur? Eum artium discipli-
 narumq; Magistrum esse judicamus, inquit doctissimus E-
 rythræus, qui omnia quæ scientia ipsaq; philosophia con-
 tinent & tradunt, quæq; sapientiæ studiosus scire deside-
 rat, non solum cognovit & didicit, sed etiam illa ipsa quæ
 scit, alios docere potest. Hunc Græci διδασκαλον seu Docto-
 rem appellant. Sive igitur res illæ sint divinæ sive humanæ,
 sive naturales, omnes, inquam, tot tantas, talesq; res perce-
 ptas posse explicare, tradere, docere, ad Magistrum philo-
 sophiæ pertinet. Veruntamen fac aliquid discriminis esse
 inter magistrum & philosophum, quod tamè non largior,
 ostendere tamen ex historiarum monumētis liquidissimè

possum, Magistrorum etiam dignitatem & auctoritatem esse summam, imò augustissimam. De insignibus ac privilegiis huic summo in philosophia honori ab augustissimis Impp. concessis postea dicā: nunc illud tacere nolo, quod Julius Cæsar Magistros & philosophos civitate Romanâ donavit, Honorius & Theodosius Impp. immunitatem eis concesserunt, Vespasianus centena dari constituit, & Antonius Pius per omnes provincias annua salaria solvi curavit. Romani etiam philosophiæ Dd. Magistri nomine sunt dignati: Quis enim nescit magistros populi & equitum? quis nescit magistratus indigitatos, qui per imperia potentiores essent? quis nescit magisteria in omnibus rebus dictos, qui magis cæteris possent, ut Sextus Pompejus? Si redeamus ad Imperatorum tempora, Deum immortalem, quàm varia sese offerent magistrorum genera! Nam ut Marcellinus historicus fide dignus scribit, & ex eo *Meibomius* annotavit, Magistri nō tantum tribunos & prorectores, sed comites etiam dignitate superaverunt, imò alius historiographus Cedrenus annotavit, magistros non tantum patriciis, & proconsulibus fuisse, prælatos, sed proximè ad Cæsares accessisse, indeq; Illustrissimos nuncupatos. Quam etiam ob causam Imperatores magistri nomen assumpserunt, teste eodem Cedreno, ut μάγιστρος ὁ λαοῦ τῆς ἀρχῆς κωνσταντίνου, μάγιστρος Ἰσακίου ὁ κομνηνός, μάγιστρος καὶ ἀρχαίων ὁ καὶ ἀντιόχειου, &c. Assumpsit & nostrarum gentium militia magistros, sunt enim magistri Rhodii, magistri Borussiaci, magistri Livonienses, &c. & quod in primis dictum oportuit, tanta olim magistrorum fuit auctoritas, ut tui olim sanguinis & profapia hæres, *Illustrissime ac Celsissime Princeps*, Hermannus Hassiæ Landgravius in Academia Parisiensi iussu Pontificis Magistri honorem & gradum assumeret. Veniant nunc belli & beatuli isti homunciones, & magistros fanda-

scandalis explodant: perfricent frontem, si quam habent
& se quoq; magisterii titulo dignos esse declarent. Verùm
idē illis accidit quod vulpi esurienti apud Æsopum: cūm
enim uvis magnā aviditate desideratis frui non posset, a-
maras eas esse dicitabat: quam rem olim in pueritia mea
hoc carmine descripsi:

*Est ita Pieridum lauretis virus inhalat
Fex studiosorum, de fursure plebsq; sophorum,
Quando magisterii titulos & nomina fannis
Excipit omnimodis: nemo non cernit & audit,
Illam illis nunquam potuisse, aut posse fruisi:
Cui non Æsopi, cui non est fabula nota?
Rupe sub aëria pendentes viderat urvas
Vulpes, cum rabies ipsum stimularet edendi,
Cumq; inhians omni conamine vescier ipsis
Non posset; nec eas cupio; sunt, inquit, acerba.*

Idem, inquam, Magistrorum & philosophorum derisori-
bus contingit. At desinant; desinant isti alienæ industriæ
contemptores, gloriæ obrectatores, comprimant vocem
stultitiæ atq; invidentiæ indicem. Vos verò A u d. Illustris-
simi, Generosi, Nobilissimi, Magnifici, Reverendi, Cōsul-
tissimi, Clarissimi, Spectatissimi, Lectissimi, pergite Philo-
sophos amare, Magistros fovere, ut aliquando ad Eccle-
siam & Rempubl. redundant commoda plurima, utilitates
infinitæ: Quod ut fiat à præpotenti & immortalī Deo ex
animo opto.

Nunc ad aliud accedo, cujus gratiā amplissimus hic
conventus indictus. Produxi in publicum nomine & auto-
ritate Facultatis nostræ philosophicæ hocce 28. Juvenes:
De his non prædico, quibus laboribus, quā industriā toto
adolescentiæ tempore ad rationes exquisitas, eruditionis
solidioris elaboraverint; sunt enim hujus rei testes locu-

pletēs: non commendo vitæ integritatem & modestiam: famæ enim publicæ succenturiatam operam præstare reformido: non commendo disputationum & declamationum præclara, quæ ediderunt, specimina. Illud unum publicè testor, eos exanimi publico & privato, eiq; satis riguroso adhibitos, ita collegio nostro undiquaq; satisfecisse, ut dignissimi ab omnibus, nullo prorsus discrepante, fuerint iudicati, quibus honor & gradus in facultate nostra philosophica summus, qui magisterii appellari consuevit, conferatur. Hujus igitur rei panegyris antequam ritè instituat, agite Doctissimi Dn. Candidati (ad vos enim mea se cõvertit oratio) eruditionis vestræ hoc quoq; specimen edite, loquimini ut videamini, de themate aliquo philosophico singuli eruditè, præmediatè & memoritè differite, atq; omninò tales vos declarate, ut omniũ judicio honore illo, quem petitis, summo, digni iudicari possitis. Tu verò, qui primo loco constitutus est, *Antoni Haggensch*, prius quæstion uni ex numero Dn. Professorum nostræ Facultatis proponas; ut responsionem submissè petas, perorantem te reliqui sequentur, & cæteri auditores benevolè aſcultabunt.

QUÆSTIO PRIMI CANDIDATI,
ANTONII HAGGENBUSCHII.

Quandoquidem rectè dubitare initium est sapientiæ, sicut Aristoteles sapienter inquit, & omnis scientia à quæstionum primitus exorta est evolutionibus, nihil equius hoc quidem tempore, quo ad summũ philosophicarum scientiarũ fastigium aspiramus postulari agnosco, quàm ut nostri in philosophia studii specimen aliquod in augusto hoc & magnifico confessu edamus in proponendis quæstio-

fionibus, quæ & utiles, & huic maximè loco cōvenientes.
 Ecquã verò aliã ego quidem primo loco proponere jussus,
 huic & loco & tēpori convenientiorē reperire queã, quàm
 ut de eo ipso qui nobis mox cōferendus est titulo, nomine,
 origine & solēnitatibus quæram, quem nemo sanæ mentis
 abiq; gravi causa à Majoribus introductum, & in omnibus
 Academiis conservatum habemus, usitatumq; esse, existi-
 mare potest. Cujus quidem problematis resolutionem nō
 solum ad gradus & honoris nostri hodierni illustrationē
 spectare omninò confido, & illustrissimo auditorio huic
 maximam allaturam esse voluptatē, profus persuasum ha-
 beo. Quandoquidem verò hæc res abstrusa aliquomodo
 & altioris indaginis videtur: præsertim cū magnoperè
 inter autores magnos hac de re controversi videam, aliis
 Nomen Magistri à Magistrando vel cōtrà, aliis à Magis &
 ter, quòd ter amplius scire debet quàm cæteri, alios à Ma-
 gis persarū, aliis ab Adverbio Magis, aliis aliundè derivatib.
 Gradus etiã hujus solēnitatē, aliis ab Augusto aliis à Theo-
 logis scholasticis, aut altiùs etiam repetentibus, optimum
 sanè id restare mihi mediū conspicio, ut ad unum aliquem
 è Clariss. Dn̄. Professoribus me convertam, & ab eo mo-
 destè petam, ne dubii hujus, & mihi, & toti auditorio solu-
 tionem denegare velit. Ad te igitur Clariss. vir, & c. Dn. M.
Christophore Helvice, oculos meos cōverto, & majorē in mo-
 dū, quaq; par est, submissione rogo, ut me hac in parte eru-
 dire, & quid compertū hac de re cognitumq; habeas, quod
 mihi imò nobis Candidatis omnibus & singulis futurū est
 honorificentissimum, in apertū proferre ne graveris. Quo
 officio nos omnes & singulos arctiùs tibi obstrinxeris, &
 Auditorio universo sine dubiorem feceris gratissimã jucū-
 dissimãq; pro qua benevolētia nos pro virili nostra omnia
 gratitudinis debita officia T. Exc. offerimus ac spondemus.

M. CHRISTOPHORI HELVICI, GRÆCÆ AC
HEBRÆÆ LINGUAE PROFESSORIS PUBLICI
RESPONSIO AD PROBLEMA.

ATq; adeò opportunè tu quidem, Doctissime Candi-
date, quæris, & planè ex re, ut inquit Horatius. Sanè
quemadmodum olim, cùm Romulus urbis conditor, no-
vum in eandem Triumphũ introduceret, laureã circum-
textã capiti, in comitatu magnifico, sequebatur universus
populus tum novitatem rei admirans, tum majestatem reg-
is venerans, tum magnificentiam prædicans, & maximò
applausu prosequens; Quæ pompa insolita posteris etiam,
Plutarcho memorante, * exemptũ ad imitandũ reliquit:
Ita hodierno die, postquàm ab Illustrissimo nostro princi-
pe patre patriæ, Academiæ (quod longè majus est) Condi-
tore munificentissimo, Academica trophæa huc allata e-
rectaq;, Sceptra commendata, sigilla concredita, Privile-
gia (ò dulcissimum nomen) tradita, quorum beneficio lau-
reæ virent, faces ardent, digiti coruscant, Videmus ecce
circumfusam undiq;, & rei novitatem admirantium & ma-
jestatem Principalem venerantium & magnificentiam
prædicantium, lætoq; concursu applaudentium multitu-
dinem. Ut meritò nunc pristinum propugnaculi hujus
consideranti usum exclamare subeat ἀλλο γὰρ ὄπλιον, sicut
Herculi olim ἀλλο γὰρ ὄπλιον κώπης acclamatum fuit, cùm armorũ
suorum novum quendam usum excogitasset. Hæc igitur
diei hujus solennis pompa, cùm Academica eiq; primæ
MAGISTRO RUM inaugurationi dicata sit, in exemplum
cessuræ ad longissimam annorum seriem; nequaquã certè
fuerit παντελῶς ἐξω κρηρῆς τῆς λόγῃς, ut cum Nazianzeno loquar, *
inquirere, quid sit illud nominis, quæ origo, quid sibi velit,

* in Romu-
lo.

* In Cesa-
rium Epi-
taph.

&

& undè in tantam rituum solennitatem excreverit. Quan-
 quam aut optarim, hæc spartam philologicam alii ex Dnn. * Pind.
 Collegis delatam fuisse, quia tamen Clariss. Dn. Promotori ita
 complacuit, equidè de rectare nolo, Ac brevissimè *Ag. * Cic. i. de*
γείων τέρπον, ut Pindarus † inquit, quod hac de re cōpertum *Divin.*
 habeo, tibi exponā, *αε φρόνων μοιζαν τυχόμελο, κείνον αΐλαι τυροπον. * Apulej. in*

Ac primò, quantum ad Nominis originem; non teme-
 rè est, quod multos illud à Magia vel Magis Persarum dixi-
 sti derivare. Quo illi modo Sapientes suos, hoc est, divina-
 rum humanarumq; rerū peritos, Naturæ arcana perscru-
 tantes, siderum motibus invigilantes, vitæ optimè peragē-
 dæ, rei q; publicæ gubernandæ rationem profitentes, & o-
 mnigenis disciplinis ex certo vitæ instituto instructos ap-
 pellabāt. * Erant enim iidem apud Persas Magi, qui apud
 Indos & Æthiopas *Brachmanes & Gymnosophista*, apud Ægy-
 ptios *εργολογομαχίαις*, apud Babylonios *Chaldaei*, itemq; apud
 Græcos Philosophi, * qui ante Pythagoræ ætatem *σοφοί κατ*
εξολω appellabātur, ut Laërtius aliq; prodiderūt. * Ac fuit
 illud vitæ genus primitus honestissimum, ut Strabo testa-
 tur, genus utiq; Sapientum & Doctorum, licet postea exe-
 crabilis abusus superstitionum accesserit. In Cyri profectò
 minoris quadam epistola, *φιλοσοφείν & μαγείην* eodem censu
 legitur, * Et apud Nazianz. *μαγείην, γεωμετρίην, αστρονομίην* con-
 jungitur. * Quod & illi calculo suo comprobant, qui Ma-
 giam (non-superstitiosam) in tres partes, Physicā, Mathe-
 maticā & Metaphysicam, tribuunt, † Imò Historia quoq;
 Evangelicalu culentū ejus rei documētū præbet. Nec for-
 tasse mirum esse debet, Latinos mutuari aliquid è Persia.
 Quos videmus & *Gazas* inde auferre, *Parasangas* numerare,
Cidari se ornare, *Acinace* armare, *Tiara* vestire, &c.

Sed n. videat hocalicui nō abs re esse *αἰσχύνειν τὰ πικρῶτα, πα-*
ταίνειν τὰ πόρρω, fastidire domestica, respectare ad peregrina:
 C
 quip-
 de rer. def.

† *Isthm. ode 6.*
 * *Pind. Isthm. 4.*
 * *Cic. i. de Divin.*
 * *Apulej. in apolog. pag. 469. e Platonis Alcibiad. Laërt. lib. 1. Polyd. Virg. lib. 1. c. 23. Picus Mirand. a. apolog. p. 23. Aristot. 14. Metaphys. c. 4. 7. Boëmus l. 2. c. 3. de pop. Asia. Strab. lib. 15. Suid. Lucian. in Macrobiis, item Fugitiv. Alex. ab Alex. l. 4. cap. 13. Laërt. l. 1. Cic. 5. Tusc. * apud Plutarch. Artoxerx. * in orat. 1. cont. Julian. † Vide Pic. de rer. def.*

atio 1.
 HELVICI GRÆCÆ
 PROFESSORIS PARTI
 AD PROBLEMA
 quidem, Doctissim
 cre, ut inquit Hoc
 Romulus urbis condit
 ntroduceret, laura
 pñico, sequebatur
 admirans, tum majest
 ntiam prædicans, & m
 ompa insolita pollens
 empli ad imitandū
 b. Illusterrimo nostro
 quod longe majus est
 demica trophæa hoc
 ara, sigilla concedita
 dita, quorum benefic
 i coruscant, Videmus
 rtarem admiranter
 ntium & magnificen
 ū applaudentium
 inum propugnaculū
 subeat
 amarum fuit, cum am
 excogitasset. Hæc
 m Academica eq
 ni dicata sit, in ex
 ni seriem; nequa
 m Nazianzeno loq
 puz origo, quod d

quippe cùm ex ipso Latio appareat origo longè propior ac verior. Etenim sicut à surdus fit surdaster, à pedes pedester, à Palus Paluster, à Minus Minister, quidni etiam, à Magis κατ' ἑγκλίον dicatur Magister? Nam Magisterare (seu ut alii volunt, Magistrare) *Festus ἀρχαιολόγος* annotavit inde dictum, quòd ille *magis* quàm cæteri possit: quèadmodum cæterarum omnium artium Magistri suam quisq; maximè callent, docere possunt, & exercere. Quanquam videri queat hoc nomen ad Græcum etiam μέγα ἰσχύος respicere: vel ad μαγίας ἰσχυός, quod nonnullis recentioribus arrisit. At verò recentiorum Historicorum μαγιστρον, planum est ad Latinorum similitudinem effectum potiùs quàm origine Græcum. Sin mavis Majister per duplex jota juxta *Marianum Socinum*, idem erit tamen. Magis enim & Majus ejusdem ortus esse nemo dubitat. Sed fortassè non absurdum est, unius rei dari duplicem originem, modò propiorem modò repetitam altius. Quo scilicet pacto & Mare ab Amaro deducimus (nisi quis contrà Amarum à Mari malit) & utrumq; nihilominus ab Hebræo *Mara* esse agnoscimus. Quo pacto & Telum cum *Festo* à Græco τηλοῦ derivamus, & utrumq; tamè ex Hebræo *Til* seu *Tiltel* oriri non negamus. Quid? si dicamus etiam *Perficum* ex Hebræo esse? *Mageh* enim Hebræis μελέτην seu Meditatore[m] significat, quæ vox propter abusum postea ad præstigiariū architectos est traducta. Verùm de his jam fatis.

Ex quib. intelligi potest, Magistrū philosophiæ inde dici, quòd totam ἑγκύκλιον παιδείαν, quam Græci in primis philosophi profitebantur, hoc est, liberalium artium exactam cognitionem, differendi & dicendi facultatem, linguarum item principalium notitiam & historiarum peritiam, vitæ humanæ gubernationem affectuumq; πᾶσιν ut *Nazianz.* * appellat, caussarum præterea seriem acrerum discrimina, cæle-

* in *Basil.*

cælestium & sublunarium vicissitudines, motus, situs, ortus atq; interitus, magnitudines, numeros; ac totam ad eò Naturam animo haustam contempletur, & quantum intellectui humano licet, perscrutetur. Quod profectò non immeritò summum eruditionis fastigium censi potest.

Porro sapiens Antiquitas, tum ut dignos qui *eis* *Coφίας ἀνθρώπων* *ἐπιπέτυον* pervenissent, merito honore afficeret, tum ut nimiam magisterii literarii licentiã cohiberet, tum ut ceteros quoque ad simile specimen alliceret, certos quosdam honorũ Titulos, ritus ac insignia adhiberi voluit, quibus idonei inaugurarentur ad facultatem docendi legitimè quod scirèt ubivis. Ita apud *Nazianzenum* * legimus, Basilio Magno & Nazianzeno in Attica Academia pro more scholar, honoris & facultatis philosophiam docendi insignia oblata fuisse. Et meminit inter cetera *καθίστασις* seu Lacernæ, sine dubio eam intelligens, quam Herodes Atticus Pallium in Gellianis noctibus appellat * *Gregorius* verò *Presbyter* prætet *καθίστασις* etiam *βασιλικίας* & *νόμους* mentionem facit, Item *δεδότα*, seu cathedræ, in quam *οἱ ἀξιότατοι δόξαντες* sistentantur. †

Contigit verò illud Basilio & Nazianzeno ante quadringentesimum à Christo nato annum. Unde constat, morem istum esse antiquissimum, & haud dubiè à primis Academia Atticæ præfectis introductum, licet aliis Insignium differentiis. Nam & de Pythagora scribitur, quòd albâ veste usus fuerit, & corollam auream gestaverit, & de Aristotele, quòd honoris causa annulum aureum gestaverit, * sicuti Perficorum Magorum insigne, candidum è Sindone vestimenti genus fuit. Quæ consuetudo postmodum in ceteras quoq; à prima derivatas Academias dimanavit, & nominatim ad Bononiensem; quæ prima omnium à Christiano Imperatore, Theodosio, anno æræ Christianæ 423. fundata dicitur, & hujusmodi Magisterii privilegiis dota-

* in *Mono-*
dia Basilii
epitaph. &
Greg. Presb.
in vita Na-
zianzen.
P. Crinit. l.
7. cap. 1.
* *Gel. lib. 9.*
cap. 2. Lu-
cian. in Fu-
gitiiv. Alex.
ab Alex. l.
5. cap. 18.
† *Greg. in*
vita Nazi-
anz. & Lu-
cian. passim.
* *Laert. l. 5.*

ta, ut mater studiorum communis esset, sicut ex publico eius Imperatoris rescripto manifestum est. Inde tractu temporis aliæ ceremoniæ additæ vel mutatæ, in primis tempore Theologiæ Scholasticæ, circa annum 1160. aut præterpropter, ubi Magistri Nostri in Theologia celebrari cœperunt, & cæterorum quoq; Graduum ordines cõstituti sunt. Qui hæctenus laudabiliter in hunc usq; præsentem diem observantur.

En hæc est, Candidate doctissime, Gradus vestri antiquitas, hæc significatio, origo & solennitas, quantum quidem ex historiis erui à me potest. De quo honoris fastigio jam jam conferendo, ego vobis ex animo gratulor & Pindaricum illud boni ominis ergò nunc acclamo: *

* Olymp.
ed. 8.

Θεὸς δὲ ἑσλάεω' ἑσλοῖς
Ἔργα θέλοι δόμειν, ὀξείας
Δενόρους ἀπαλάλῃσι·
Εὐχόμεαι ἀμφὶ καλῶν
Μοῖρα νέμεσιν διχόεσλον μὴ θέμεν·
Ἄλλ' ἀπήμαντες ἀγῶνας βίωσεν
Σφᾶς τ' ἀεζοὶ καὶ πόλιν, id est:

*Hac bona mille bonis cumulet Deus arbiter ævæ,
Et magis innumeros confirmet & ornet in annos.
Arceat & pestes omnes procul, & furiosam
Ne quicquam noceat, Nemesin reprimatq; fugetq;
Quin hæc & vobis bona præclarissima porro
Prosperet, & Nostra feliciter augeat urbs.*

DIXIT.

[Cæterorum Problemata brevitatis
causa hîc sunt omissa.]

AUdivistis, Auditores, Candidatos nostros præter unum omnes, qui ad gratiarum actionem reservatur, progressus eorum cognovistis, mutos eos non esse intellexistis. Quid judicatis? num dignos eos honore in philosophia

phia summo existimatis? num industriam eorum probatis? tacetis: at qui tacet, consentire videtur, ut patet *ex l. si fil. fam. l. D. de senat. consult. Macedon. & disputat. Cujac. lib. 13. observat. c. 34. & lib. 16. cap. 40.* τὴν σιωπὴν συγκατατίθει εἶναι διδάχην αὐτοπρομύθη, hoc est, silentium habere vim assensionis proverbium docet; inquit Magnus ille *Gregorius Nazianzenus*. Itaq; nihil restare videtur, quam ut debita brabeja cōsequantur, philosophiæ Magistri creentur, creati renunciarentur, renunciati proclamētur, & ab omnibus pro talibus agnoscendos habendosq; esse publicè significetur. Quam vellem autem Candidati Ornatissimi, si possem! Impetrari enim hoc summum beneficium oportet ab Invictissimo atque augustissimo Heroe ac Dn. R O D O L P H O II. Romanorum Imperatore, P. T. S. A. itemq; ab Illustrissimo ac Celsissimo Principe ac Dn. Dn. L U D O V I C O, Hassiæ Landgravio, Comite in Cattimeliboco, Decia, Ziegenhaina & Nidda, &c. nutritio ac patrono nostro clementissimo, cui invictissima Imperatoria Majestas hanc potestatem clementissimè indulgit & attribuit. At quia tu horum vices geris, Magnifice Dn. Rector, Clarissime ac Consultissime Dn. Doctor Gothofredē Antoni, J. C. eminentissime, Academia nostræ Cancellarie dignissime, primùm Magnif. & Ampl. T. Collegium nostrū de honore hoc ex animo gratulatur, deinde hosce 28. Candidatos ad te mittit, ut reverenter & debita animi subjectione ad gentia tua procumbant, supplices voce mea rogent, ut mihi ritè designato brabeutæ & honorum diribitori, Casarea & Principali Autoritate concedas, eos omnes philosophiæ & artium liberaliū magistros promovere, creare, renūciare: quo summo beneficio Magnif. & Ampl. T. tū ipsos omnes & singulos, tum totū Collegium nostrum sibi devinciet arctissimè.



RESPONSIO

MAGNIFICI ET CONSULTISSIMI VIRI,

**DN. GOTHOFREDI
ANTONII, NOVÆ ACADEMIÆ
RECTORIS, CANCELLARII ET PRO-**

**FESSORIS J. U. ORDINARII, NEC NON IL-
lustrissimi Principis, Dn. LUDOVICI, &c.
Consilarii intimi.**

Gratulor Illustrissimo Principi, Patriæ, nobis ipsis de
tam felici novæ Academiæ initio, quæ altero statim die
fructum uberrimum, x x i i x. Philosophiæ Candidatos,
profundit: qui cum communi venerandi Ordinis Philo-
sophici, quin & omnium ac singularum cæterarum Facul-
tatum Academiæ hujus Professorum, unanimi consensu
atque decreto digni judicati fuerint, quibus summus Phi-
losophiæ gradus conferatur; facile annuo petitioni tuæ, vir
Clarissime, Compater & Collega honorande, & quod bo-
num, felix & faustum Deus esse jubeat, pro ea, quæ hester-
na die in me clementissimè collata fuit, potestate, tibi per-
mitto, ut omnes ac singulos Cæsareâ & Principali aucto-
ritate artium liberalium Magistros publicè ac solenniter
crees atque renuncies. Faxit Deus, ut dehinc quoque sit, &
perpetuò maneat hæc Academia eruditæ pietatis, & piæ
eruditionis, sapientiæ, honestorum morum, omniumq; vir-
tutum fertilissimum seminarium, magno Ecclesiæ & Rei-
publ. bono.

Victor jo, jo Victor jo, mea turba triumphat.

Obtinuimus, Candidati doctissimi, quod petivimus, &
invenimus, quod quæsiimus, voti nostri facti sumus
com-

compotes, *ἐξουσία* mihi data est ab Amplissimo Academiae nostrae Cancellario, vos philosophiae ornamentis decorandi, philosophos declarandi, Magistros renūciandi. O rem omni praedicatione majorem! Profectò si aliquis me Deus hic suis vel aspergeret Veneribus, vel perfunderet suavitatibus, quas gratias pingerem in Amplissimum Dn. Cancellarium, quam benevolentiam, quod studium? Si qua dicendi vis, si qua Venus, si qui colores, si qua emblemata, si qua dinosis, si qua lux, deniq; si quod fulgur ac tonitru reginae eloquentiae, id totum in tanti hujus beneficii depraedicationem oporteret me consumere & expromere.

Antequam verò hactenus speratos, nunc verò concessos honores consequamini, optimi Candidati, prius ad Sceptra inclytæ hujus Academiae sanctè jurabitis ad ea capita, quæ nunc publicus noster Minister clarè & perspicuè proponet. Tu igitur M. Wigande, minister Academiae, eis formulam juramenti prælege, & ad proposita capita religiosè jurare seriò jube.

Juramentum exigitur & præstat.

RENUNCIATIO.

Quod igitur felix ac faustum sit, Deo in primis gratum, Ecclesiae utile, Reipublicae salutare: Ego CASPARUS FINCKIUS Giessensis, artium & philosophiae M. ac hujus Academiae Giessensæ Logices Professor ordinarius, pro autoritate Cæsarea & Principali ab Amplissimo Dn. Cancellario mihi concessa, Universi Collegii philosophici nomine vos XXIIIX. eruditissimos viros Juvenes, omnes atq; singulos in hoc frequentissimo & honorificentissimo Academiae cõventu, philosophos, hoc est, omnium artium liberalium Magistros creo, creatos renuncio, renunciatos proclamo, prodo, declaro, ac publicè significo, simulq; testa-

restatem docendi, disputandi, opponendi, urgendi, pre-
mendi, instandi, declamandi, cum reliquis omnibus anne-
xis Juribus, Privilegiis, indultis & immunitatibus, conce-
do, confero, addico, ad signo ac confirmo: in nomine Dei
Patris, Dei Filii, Dei Spiritus sancti, Amen.

EXPLICATIO INSIGNIUM.

PORRò solennitatis gratia placuit pie vetustati hujusmo-
di renunciationibus signa & ritus quosdam augustiores
addere.

Liber.

Hunc morem ego servaturus primùm libros vobis assi-
gno: hi continent philosophiæ nostræ mysteria, & sapien-
tiam custodiunt, quam ob causam Cicero in Verrinis ait,
Stesichoro poetæ statuam librum manibus tenentem, ere-
ctam esse, ut Poetæ monstraretur sapientia. Deinde libros
Apertus. vobis aperio; quo ritu de multis admonemini: Cogitabi-
tis enim neminem in hac naturæ imbecillitate omnia sci-
re: ideoq; perpetuò discendum esse. Deinde non debere
vos in tenebris & ignavo otio, instar domiportæ cochleæ
delitescere, & *ἀντοδιδάκτῆς* esse, sed libros tãquam mutos ma-
gistros consulere; ne varia opinionum, monstra pariatis,
quemadmodum olim Epicurus, qui depositis Aristotelis
& Platonis libris proprii lirippippii figmenta magno cona-
tu defendit.

Præterea cogitabitis etiam circa hunc ritum aliquoties
ad libros vobis recurrendum esse, præsertim quando me-
moriam labilis esse incipit aut prorsus deficit, sicut factum
scimus in Messala Corvino, Gregorio Trapezuntio, qui li-
cèt in utraque lingua Græca & Latina esset doctissimus, in
senectute tamen sua in tantam oblivionis incidit vitiligi-
nem, ut 24. literas Alphabeti recitare nesciret. Idem acci-
dit Sleidano, qui in decrepita sua ætate ne filiarum quidem
suarum

suarum nomina scire potuit. Deniq; idem apertus liber significat vobis potestatem esse datam explicandi quosvis optimæ notæ autores, &c. Dein eosdem libros clausos vos *Clausus.* bis trado, ut cogitetis, ea quæ in libris legistis, memoriæ infixenda & reponēda esse, ut inde tanquam è promptuaria cella depromere possitis, quando est opus. Quò respexisse etiam videntur veteres, quādo ita dixerunt: *Ne credas charta, potius spem pōito in arte. Ne si charta cadat, pariter sapientia vadat.* Deniq; *Ne musas iterum linguas, tibi monstrat apertus, Quis vires repares otia clausus habet.*

II. Sed & faces vobis præferuntur, magistri doctissimi, & quidem ardentes: Hæ significant splendorem & claritatem vestram, monent depulsas nunc à vobis esse infœitiæ tenebras, adeoq; in luce & aprico, non in agyrtarum conventiculis, non in anicularum triviis, sed in philosophorum & eruditorum comitiis esse philosophandum. *Faces.*

III. Cur verò præferuntur à pueris? Pueri sunt simplices, aperti, candidi. Vos igitur apertè philosophiam, & candidè, sine fuco, sine sophistica docebitis. Magistri Candidissimi. Hinc & in Academiis nonnullis. A pueris præferuntur ornatis vestimentis candidis. Hinc enim & olim Candidati dicti sunt à toga, quam gestabant, candida. Et veteres Diis vota facturi, aut sacrificaturi albis vestibus ac puris ornabantur, ut & ipso die natali, quod notat *Ovid. 5. Trist. cum ait:*

*Quæq; semel toto vestis mihi sumitur anno,
Sumetur fatis discolor alba meis.*

Quin etiam sacerdotes, qui victimam faciebant, purâ veste & candidâ utebantur, quod & Cicero significat *lib. 2. de leg.* cum ait: Color albus præcipuè Deo charus est. Et *Ovidius 3. Fast.* Numam Pompilium Ancilia Martis expectantem, & ideò Diis vota facientem sic describit:

D Con-

*Constitit, atque caput niveo velatus amictu,
Iam bene Diis notus sustulit ille manus.*

Ita omnes philosophiæ Magistros, post adeptos honores philosophicos in candidis vestibus Deo sacra facere oportet, & id unum cogitare, ut in numero eorum sint, de quibus Apostolus ait: *superinduemur si tamen non nudi reperiamur*; & solliciti sint de paranda veste innocentiae & stola iustitiæ, de qua *Apocal. 6. & Matth. 22.* sicut Episcopo Laodicensi Christus suadet, ut sibi emat vestimenta alba, quibus induatur & tegatur, ne nuditas ipsius appareat, *Apocal. 3.*

Annulus.

V. Annuli etiam digitis vestris induuntur. Nam ut est in Ægyptiorum sacris, annulus est fidei typus. Unde Cicero ad Q. fratrem: Sit, inquit, annulus tuus non minister alienæ volūtatis, sed testis tuæ. Itaque hoc annuli hieroglyphico memineritis, quasi arrhæ interventu desponsatam vobis esse philosophiam, cui fovendæ, propagandæ, nihilo minori quàm conjugali fide obstricti esse debetis, eamq; defendere pro virili ut ingenuos decet: Annulos enim aureos ferre solis ingenuis licuisse autor est Isidorus l. 20. ob quam causam libertijus aureorum annulorum impetrabant à principe, ut ingenuitatis munia consequerentur: quod jus *Modestinus l. 14. ff. de excus. δικαιων χειρῶν δακτυλίων* appellavit.

Rotundus.

VI. Annuli, inquam, rotundæ potius quàm alterius figuræ: Vir enim bonus esse debet rotundus, & ad quovis vitæ casus, vel ut Poëta loquitur, in utrumq; paratus, ut vel Aristoteles monet i. Nicomach.

Aureus.

VII. Adhæc: annuli non sunt argentei aut ferrei, sed aurei: quia ut aurum metallum est pretiosissimū & purissimum: ita cogitetis cum Euripide, virtute nullam esse possessionem pretiosiore, & philosophiæ Magistrum debere esse purum, hoc est, ut *Plato* loquitur, animum quàm maximè ab affectibus sejungere. Quid

Quid verò gemma in annulo isto designat? Hæc monet vos de usu philosophiæ in Theologia. Quemadmodū enim gemma exiguo annuli spatii contenta est; ita etiam philosophia intra suas limites manere debet: Hæreticorum est, ut docet *Augustinus*, naturæ vires in articulis fidei consulere, res divinas ex philosophia potius quàm ex verbo Dei intelligere, hoc est, ut *Chrysostomus* exponit, candens ferrum non forcipe, sed digito contrectare.

II X. Pilei etiam capitibus vestris imponuntur. Antiquitùs enim servi libertate donati & manumissi in Templo Feroniæ rasò capite pileum assumebant. Unde *Persius Satyr. 5.* Hæc mera libertas, quam nobis pilea donant. Et *Plaut. in Amphitruon.* Quod utinam ille faxit Jupiter, ut ego hodie rasò capite capiam pileum. Hinc illa locutio apud *Sueton. Senecam & Liv. lib. 4. decad. 3.* ad pileum vocare, id est, ad libertatem. Hinc & Brutorum statuas pileolo ornari olim solitas accepimus, & à Bruto primo Consule excusam moneram, in qua duobus pugionibus impositus pileus expressus erat, quo pileo libertas paulò antè recepta significaretur, ut testatur *Lilius Gregorius Syntagm. 1. & Cal. Rhodigin. lib. 20. c. 12.* Nec libertatis tantùm, sed & nobilitatis pileus apud veteres olim argumentum erat, ut iterum testatur *Calius Rhodigin. lib. 20. c. 2. de statua Hippocratis, & lib. 7. c. 35.* Ita & vos liberi eritis, nullius addicti jurare in verba magistri: non facietis ex intellectu vestro mancipium alienæ libidinis, sed nō tantùm aliorum, sed & proprias sententias debebitis ad veritatis præsidium atq; conservationem: in luce versabimini, arbitrâtes vos ex obscuris claros, ex ignobilibus nobiles esse factos.

IX. Capitibus autem pilei imponuntur: quia caput secundum Platonem & Manilium est pars principalis, & quasi arx corporis, & rationis conceptaculū. Quemad-

modum igitur pilei omnis generis mala à capite arcent: ita vos à nobilissimo illo rationis conceptaculo omnia noxia arcebitis, nec crapulâ aut heluationibus, inanibus curis circa voluptatum illecebras perdetis.

Laurea aurea.

X. Laureâ item vobis imponitur aurea: Laurus enim triumphalis erat, ut *Plinius* testatur *lib. 15.* & hujusmodi coronâ nemo ornabatur, nisi qui virtute fuisset praeclitus. Ita hic ritus testatur, vos de barbarie & incitiâ triumphum agere victoresq; evasisse. Nam ut eleganter ait *Basiliius*: Coronæ eorum sunt qui meruerunt. Et *Prosper* in *Epigram.* Non nisi certanti pulchra est speranda corona.

Cathedra.

XI. Deniq; in Cathedram hanc & editiorem locum conscendere jubemini: ut significetur, vos non jam esse terræ filios, & res viles considerare, sed ea curare, quæ faciunt *Πρός ἄλφια*, vel ut *Scaliger* loquitur, ad machinas farinarias conficiendas, quæq; insignem usum habent in Ecclesia, republ. & universa vita. Significatur enim vos ex loco inferiori ad summa honorum fastigia ritè & legitime conscendisse, & denique quòd nunc adscripti sitis ordini docentium, & potestati habeatis in omnibus Academiis, Scholis, & Gymnasiis philosophiâ liberè & sine ullius impedimento profitendi. Sisto etiam hoc ritu vos Ecclesiæ, Academiæ & reipublicæ; ut sciatis non quaslibet vocaciones perfasque nefasq; vobis esse arripiendas, aut sollicitè crumenimulgis blanditiis ambiendas, sed honestas legitimo modo esse expectandas & expetendas.

Hæc insignia vestra sunt, hæc mysteria, hæc ornamenta, Magistri doctissimi: quæ ut à me ritè designato brabeuta consequamini, eo quo collocati estis ordine, (ordine autem collocati estis eo, quam virtus & eruditio vestra promeruit, cathedram hanc conscendite, debita virtutis præmia accipite, & tandè Deo pro hoc beneficio gratias agite.

Hono-



HONORUM DISTRIBUTIO.

I. ANTONIUS HAGGENBUSCH LAUBACENSIS Solmejus.

*Sicut in astringero Phæbe splendescit, Olympo,
 Inter & atherias pulchra Selena faces.
 Sic, Haggenbuschi, splendescit micæq; Magister,
 Vnus præ reliquis duxq; caputq; gregis.
 Vig. duos Cæli reges, solem atque Selenem
 Ordine constipant Sydera parva suo:
 Cætera turba ducem sic te comitatur euntem,
 Non quos præcedas, quosvè sequare, vides.
 Te quibus ingenii & genii virtutibus auctum,
 Carminibus, sicut res meret ista, canam?
 Ingeniummè prius mirer, vel Palladis artes,
 An quòd es eximie doctus, amasq; Deum?
 Nescio quis Cælo, Antoni, te laudibus æquem;
 Obruis ingenium, versiculosq; meos.
 Hunc Cyclum; ista tuæ virtuti debita ferta;
 Cui modò non velles laurea ferre? feras.
 Maile animo: tantos tibi nunc gratamur honores;
 Quis tulit è Cælo Christus Ihesus opem.
 Hic Sol Justitiæ frondem tibi fronde coronat,
 Te quia Justitiæ compta corona manet.
 Digni laude viri Cæli super axe locantur;
 Dignos laude viros Musa perire vetat.*

II. CHRISTOPHORUS SCHEIBLERUS, WALDECUS.

*CHRISTOPHORUM in templis olim pinxere vetusti
 Excelsâ stantem statuâ, Christumq; ferentem;*

D 3

In

In templo pariter virtutis, & arce locaris
Christophore; ut Christi divino carmine laudes
 Celsa per astra feras; nunc assuescasq; vocari
 Voce mea in septemgemma arte Magister: O aurum
 Accipe cum lauro; Sophies pulcherrima dona:
 Illa tibi meruit divina scientia dona:
 Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur
 Nota tibi, & Graji quorum meminere Poëtæ.
 Unde tremor terræ qua vimaria alta tumescant,
 Frigida Saturni quo sese stella receptet,
 Unde hominum pecudumq; genus: unde imber & ignes
 Enumerare vales: cæli prædicere morem
 Artis opisq; tuæ est: cuncti se scire fatentur.
 Aonas in montes magno certamine tendis,
 Tentastiq; viam nuper quæ te quoq; possis
 Tollere humo, clarusq; virum volitare per ora.
 Hanc igitur meritò magnam tibi magnus Apollo
 Concedit laudem; & magna inter præmia ducit.
 Si qua fides, animum si veris implet Apollo;
 Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt;
 Et magis atq; magis sublimem gloria tollet.

III. BUDÆUS NICOLAI AARHUUSIUS DANUS.

D*Ane*, flos juvenum elegantiorum,
 Exemplar genii beatioris,
 Exemplum ingenii venustioris:
 Et templum probitatis invidendæ,
 Quod suadàm veneresq; gratiasq;,
 Et quantum est Heliconidum sororum,
 Ipse plus oculis tuis amasti,
 Dilexisti adeò, diuq; amasti
 Sinceræ sophiæ; novensilisq;
 Catervæ studium; suis in hortis
 Quòd te Musà decens benè educavit;

Quòd

Quod te Pierio Deæ liquore
 Novenæ ter & amplius rigarunt,
 Quod corona venusta gratiarum
 Te circum manibus prendit artus:
 Ergo te Sapientiæ Magistrum,
 Magistrum Sapientiæ saluto,
 Exornoq; caput tuum coronâ,
 Exornoq; manum tuam pyropo.

O quot sunt hominum venustiorum,
 Et quot sunt hominum peritiorum
 Budæo benè centies precentur,
 Budæo benè millies precentur,
 Centum Chiliadâs precationum,
 Mille myriadas precationum.
 Tu gaudè his titulis, honoribusq;,
 Et quia ad patrias migrabis oras;
 Laurum istam laribus refer paternis,
 Honestumq; tuum patrem saluta
 Nostro nomine comiter; Valeq;
 Dane flos juvenum elegantiorum.

IV. HENRICUS CLESSIUS WINDECCENSIS
 Wetteravius

Candidior cygnis, Henrice, nive albior ipsa,
 Artibus, ingenio, moribus, eloquio.
 Cum virtus placidis & te circum volet alis,
 Ingenium poliat casta Minerva tuum:
 Cum tua te pietas, & nescia fallere vita
 Ducat inoffenso sancta per arva pede:
 Quæ tibi plura dabo tanto pro munere dona,
 Quam sertum hoc capiti; quàm digitoq; cyclum?

Post varios casus, exantlatosq; labores,
 Post etiam vitæ dura pericla tuæ;
 Accipe virtutisq; tuæ; durig; laboris
 Symbola; quæ nullo sunt peritura die.

V. PHILIPPUS WEBERUS, IDSTENIANUS
 Nassovius.

ECce, Philippe Webere, tui gestamen honoris,
 Quod tibi Castalides jure dedere Deæ.
 Annulus in digito micet aureus iste: Minerva
 Quem tibi de Pindi misit amata iugo:
 Namq; legis sophicos magno molimine libros,
 Et conferre soles cum Cicerone manus.
 Inde Mathematicas tentas inflare cicutas,
 Es bonus in Melicis, es bonus in Medicis.
 Ergo habeas, inquam, gestamen honoris: & aurum
 Et laurum; hoc tanto munere letus abi.

VI. HERMANUS BALTHASAR TREISBACENSIS
 Hassius.

Hermanne optume, potor Hippocrenes,
 Qui sic diligis unicè Camœnas
 Doctas, ingenuas, pias Camœnas,
 Qui sic diligeris tuis Camœnis
 Doctis, ingenuis, piis Camœnis,
 Illam quam tibi destino corollam,
 Illum quem tibi destino pyropum,
 Ars, Candor, pietas, fidesq; sancta,
 Nec sublesta dedit; vigorq; celsi
 Ingeni; labor excitatus: ardens
 Multorum quoq; lectio sophorum.
 O durent tibi perpetes honores,
 Et durent tibi perpetes amores,

Et

Et dures tibi perpes usq; & usq;
 Hermanne optime, potor Hippocrenes.

VII. HERMANUS RINSCHIUS SUSATENSIS WESTPHALUS.

Qua tibi jam tribuo, Rinschi doctissime, sarta,
 Sarta ab Apollinea qua tibi sarta manu.

Illamagistralis sunt pignus & arrha triumphi,
 Et te perpetua laude beare queunt.

Quaę, his adjungopretiosi dona Metalli,
 Pignus amoris erunt, pignus honoris erunt.

Macte age; majoris tibi munus honoris, amoris,
 Religio, & pietas, & Deus ipse dabunt,

IIX. PHILIPPUS STIPPIUS RODENAVIENSIS
Hassus.

Militat artis amans, & habent sua castra Camæna,
 Stippi, crede mihi militat artis amans.

Strenuus ut miles Sophia grassaris ad arces,
 Inscia corda domas, barbariemq; premis.

Nomine quando alii dicuntur; suntq; Philippi,
 Insectantur aquas, & comitantur equos:

Discunt ut sonipes petat arduus etheris auras,
 Utq; imum celeri calce fatiget humum:

Tu philomusus ades; non re, sed voce Philippus,
 Et gladio Logices dogmata falsa necas.

Grata hæc militia est, Stippi doctissime, grata est,
 Hoc aurum, hanc laurum militia ista dedit:

O cane victor jo! tibi enim victoria parta est,
 Versibus & nostris docte Magister Ave.

IX. JACOBUS ERBENIUS DELCKENHEYMENSIS
Rhenanus.

Supplantatorem quamvis te nominis omen
 Jacobe, Hebraeo dicitur esse sono:

E

Tu

Tu tamen ingenuus, simplex & candidus audis,
 Moribus, & vitâ testificante tuâ.
 Candida simplicitas, & mens tua conscia recti,
 Pileolum capiti dat, digitoq; cyclum.
 Maeste bonis istis! mens Candida, pectus apertum
 Instituent nomen magnificare tuum.

X. GEORGIUS SCHRODERUS GREBENA-
 viensis Hasslus.

ÆMulus fratris veneraris artes;
 Æmulus patris venerare Christum:

Nulla te turpis stimulat voluptas
 Care Schrodere.

Est pium pectus tibi candidumq;
 Et tibi vita est benè semper acta,
 Gnavus ad seram vigilas cleanthis
 Nocte lucernam.

Debiti merces datur En laboris,
 Aureum cingit diadema crines:
 Gemmifer cingit, teneros & ornat
 Annulus artus.

Ergo te doctæ recinent Camœnæ,
 Te lyram pulsans digitis Apollo,
 Te lyram plusans cytharædus Orpheus
 Tolle ad astra.

Gaudium patri quoq; concitabis,
 Gaudium fratri pariter creabis,
 Teq; virtutis titulo beabis
 Docte Magister.

XI. HIERONYMUS GERRHARDI DARMSTADTINUS.

UNus præ reliquis ni veor vè nigro vè colore,
 Caruleus recreat lumina nostra color.

Cern-

*Cernens cæli color est, ac astra serenat,
Et decorat radio splendidiore polos.
Sic tibi quam dono, Gerrharde ô optime, gemmam
Clarius hos digitos, Ecce, micare facit.
Pileus iste notat te scandere culmen honoris,
Libertate frui, nobilitate frui.
Sic felix Gerrharde, tuo lætatus honore
Spinas linque aliis, sed tibi carpe rosas.
Nil juvat in nugis argutos necere nodos,
Ipsis in rebus qui sapit, ille sapit.*

XII. BALTHASAR BREIDENSTEIN LIDER-
bacensis.

T*yndaridæ fratres, Castor Polluxq; gemelli,
Æquali retinent laude perenne decus.
Debita si fuerant illis equalia dona,
Te cum fratre aliquid majus habere decet.
Scilicet hoc sertum capiti; digitosq; Smaragdum,
Dona eadem frater debet habere tuus.*

XIII. JUSTUS HIEN GLEYPERGENSIS
Nassovius.

J*ustitiam quia Juste colis; tibi premia dantur
Iusta; tuum cingit laurea justa caput.
Pro justo tibi gemma datur; cyclusq; labore;
Iustus amor Charitum est, sic tibi justus honor.
Laurus ut æternos gerit immortalis honores,
Et semper viridi frondet odora coma:
Sic vigeas in honore tuo; quem aliquando sequetur,
Juste, in sydereo justa corona polo.*



XIV. JOHANNES DUPOLYCUS SALISUFLENSIS
Westphalus.

Antiquus sermo est; Medium tenuere beati:
Sol medius rutilus inter micat ipse Planetas,
In medio virtus semper consistere novit,
Rebus inest mediis & honos, & gratia major
Non bene in extremis, medio tutissimus ibis.

Dupolyce, es medius, medioq; locaris in orbe,
Inq; loco medio magnum & memorabile nomen
Accipis: hanc lauram capiti, digitoq; pyropum.
O bene! sic teneas medium & dicere beatus.

XV. ABRAHAMUS KNEFELIUS MARPUR-
gensis Hassus.

Abrame Musarum decus,
Flos verne gratiarum:
Phœbi sacerdos in clyte
Digne oscula Diones:
Germanico cur nomine
Knefelius vocaris?
Cum moribus sis præditus
Cultis venustulisq;
Virtute comptus aureâ
Et elegante vitâ:
Et culta pangas carmina,
Qua comprobant Poëta,
Pindi^{q;} scandos culmina,
Noctes studens diesq;
Abrame non Knefelius,
Sed belluo librorum,
Sed & magister artium,
In posterum vocator:

Illud Camena flagrant
Et triga gratiarum,
Idemq; Phœbus imperat,
Et exigit Minerva.
Id ordo totus approbat,
Ut laureâ corollâ:
Fruaris: hæc ut gemmula
Manu in tua nitescat:
Virescat illa laurea
In æviternitatem.
Nitescat illa gemmula,
Felicitate multâ.
Tuos honores deniq;
Benignitas Jeshovæ
De sedibus caelestibus
Rectissime secundet.
Abrame Musarum decus,
Flos verne gratiarum.

XVI.

XVI. SAMUEL STEINRUCK CORBACHIANUS
Waldecus.

Steinruckium vocavi
Vernaculâ loquelâ:
Steinruckium creavi
Autoritate fultus
Deiq; Cæsarisq;
Septem artium Magistrum.
Nunc myrteata laurus,
Et laureata myrtus,
Lanuginem capilli
Hinc ambient & illinc.
Donatus ergo lauro

Utatur ac fruatur
Hoc circulo nitente,
Hac gemmulâ virente:
Ubiq; publicetur
Sophicæ Magister artis:
Ubiq; prædicetur
Doctus, pius, modestus,
Ut crescat & virescat,
Vigescat & vegescat,
Genii benignitate,
Tituli beatitate.

XVII. JOHANNES SCHATTENIUS DARMB-
stadinus.


Schatteni, pattium quia ducis nomen ab umbra,
Propterea cupias umbratilis esse magister?
Nolo: divinæ tum caro in pectore dotes
Id prohibent: veri sume ornamenta magistri,
Cyclum hunc; pileolum hūc; hæc aurea ferta; Magistrum
Talia te facient famâ super æthera notum.
Tu modo vita umbras, ac otia turpia: sic te
Major honos, & major adorea ponè sequetur.

XVIII. WIGANDUS DIEPELLIUS KIRCHAY-
nensis Hasslus.

Sicut qui rediit victor truce miles ab hoste,
Publica præconis voce trophæa gerit.
Sic tu, quando redis de victo miles ab hoste,
Fers digitis isthæc aurea dona tuis,
Hanc etiam tyriam nectit tibi Musa tiaram,
Implicitur a tuas flore deceote comas.

*Dieppeli his donis gaude: tibi fama parata est,
Lausq; per aeternos non peritura dies.*

Scinduntur vestes, gemme franguntur & aurum,
Quam meruit virtus laus, ea sola manet.



IXX. REINHARDUS DERNIUS LEISTERANUS
Hesso-Nassovius.

TU quando ad patrias *Reinharde* reversus es oras,
Et septemgeminâ promotus es arte Magister,
Dic quos sermones; quæ de te verba loquentur
Rustica gens: dicent; non credo: credat Apella
Esse magisterii titulos & nomina nactum,
Istum, qui nobis *Reinhardus Dernius* audit;
Namq; scholæ nostræ non gestat virgea scepra.

Brutum iudicium! quod sis *Reinharde* Magister,
Id docet hæc cathedra, probat annulus illud, & ille
Pileus: hæc affer pago pagi; colonis
Munera: si tunc non ab iis dicere magister,
Compita per clamabo, per & clamabo plateas,
Rusticus es Corydon mysteria nostra ignoras.
Sis Corydon, quoniam te fors Corydona creavit,
Atq; ultra stabulum sapiens non esse memento.

~~~~~

XX. JOHANNES CHRISTOPHORUS ANGELUS  
Darmbstatinus.

**A**ngelus officii nomen benè quadrat in illum  
Officii partes qui benè fidus agit.

Angele tu facis hoc: ut Cælo atq; arce fruaris  
*Angelica; facis hoc; quàm facis ergo benè!*

*Angelus hac lauro gaudet tuus; angelus auro  
Gaudet in atherio qui famulatur agro.*

o sic

*O sic angelicam perge exhilarare catervam  
 Angele; sic magnâ laude magister eris:  
 Sic poteris matremq; tuam, canumq; parentem  
 Ducere in Angelicum, non sine laude, thronum.  
 Filius exhilarat sapiens matremq;, patremq;,  
 Scilicet hæc regis vox Solomonis erat.*

XXI. DAVID STOCKHAUSEN LINDANUS  
 Hassius.

**D**avid cum nuper pro nostro examine stares,  
 Mirabar captus ingeniumq; tuum.  
 In cathedra stantis mirabar acumen, & idem  
 Mirabar lingue verba diserta tue.  
 Talis cum fueris sub primo flore juventa,  
 Sertum è Daphnæa germine frondis habe.  
 Chrysolymphumq; fer hanc, sophia quam misit ab hortis  
 Musa, videns animi dona beata tui.  
 Non cura invidiam: sed contra audentior ito,  
 Contemnit Momi laurus odora minas.

XXII. JOHANNES BREIDENSTEIN LIDERBACENSIS.

**H**uc Breidensteini; dignam virtute corollam  
 Accipe; quam studiis dat Charis alma tuis.  
 Hoc sertum; hæc laurus multo sudore paratur,  
 Ignavumq; manent præmia nulla virum.  
 Annulus hic feros tecum durabit in annos,  
 Donec erit cælum; Sydera donec erunt.  
 Crescit ut oculto sylvestris populus ævo;  
 Sic crescet famæ gloria magna tuæ.  
 Fac cum fratre tuo concordia pectore vivas,  
 Qui modò tecum eadem laurea ferta tulit.  
 Tam bona, tam præstans res est concordia fratrum,  
 Ut superet Cræsi divitiasq; Mide.

~~~~~

XXIII. HIERONYMUS PISTORIUS GOARINUS Rhenanus.

Adsis Pistori, frontem decorabere lauro,
 Et virtute tuâ præmia digna feres.
 Annulus hic digitum circumdet; pileus iste
 Cingat honoratum fronde decente caput.
 Nam tunc ingenuæ florent feliciter artes,
 Virtutis studium si comitatur honor.

~~~~~

XXIV. ANTONIUS JUNCKIUS GERAVIANUS.

|                       |                  |
|-----------------------|------------------|
| <b>O</b> ptime Juncki | Tota sit ore,    |
| En tibi laurum,       | Tota sit & re,   |
| En tibi gemmam,       | Tota & honore,   |
| En tibi nomen         | Tota & amore,    |
| Dulce magistri,       | Sola fidelis,    |
| Quod petiisti,        | Sola perennis,   |
| Quod meruisti,        | Dum tibi vitæ    |
| Obtinuisti,           | Terminus extat,  |
| Auspice Christo,      | Dum tibi vitam   |
| Alite dextro,         | Fata reservant.  |
| Omne læto,            | Hujus, at in te  |
| Quid petis ultrà,     | Dulcis honoris,  |
| Nil petis ultrà?      | Certior ut sis,  |
| Hoc petis ultra,      | Auspice Christo, |
| Corde manuq̄;         | Alite dextro,    |
| Mente fideq̄;         | Omne læto,       |
| Sit tua sola,         | En tibi laurum,  |
| Sit tua tota          | En tibi gemmam   |
| Philosophia.          | Optime Juncki.   |

XXV.



XXV. HIERONYMUS *Trinckaus* FRANCO-  
furtanus.

**T**rinckaus quando bibunt alii, fœtentq; falerno,  
Ac omni studio læti convipia curant,  
Ut dici possint mutato nomine *Sausaus*!  
Tu flores studiis, studiis tam nobilis otI,  
Ingeniumq; polis Logicâ doctissimus arte:  
Fonte sitim Clario sedas: non pocula Bachi  
Terevocant, mutantq; animi studiiq; vigorem.  
Ecce igitur studiiq; tui, vegetiq; laboris  
Præmia, pileolum, lauriq; auriq; coronam.

XXVI. HENRICUS NIGER *UDENHUSANUS*  
Hassus.

**A**vdirem miram, quod non es diceris esse,  
Et quod es. e populo quilibet esse nequit.  
Diceris esse niger; cum sint tamen omnia rubra,  
Cum rubra barba, frons, oculusq; rubent.  
Sicut sublucent rubicunda crepuscula solis,  
Sicut in autumno poma rubere solent:  
Haud aliter pinxit rubicunda modestia vultus,  
Sic faciem rubens pinxit & ora color.  
Et quodes, hoc qui vis non est de plebe; Magister  
Es novus: ô multis ille negatur honos!  
Iudicio, ingenio, & pietate, Henrice, reluces  
Ac *Cyrræarum Musica castra colis.*  
Per magnam peram debes cognoscere *Fuhrman*  
*Vulgus ait: de te dicere sic potero.*  
Per rubram barbam debes cognoscere *Fromman*!  
*Δωρεα*, Deus tribuit talia totq; tibi.

Ordinis vernantis adhuc lanuginis ævum  
 Dum vestit rubeas florida barba genas.  
 Hinc tibi Phæbæâ religantur tempora fronde,  
 Et cingit digitos lucida gemma tuos.  
 Perge, laces patri, doctisq; sophisq; virisq;  
 Perge, Henrice, niger, ne vocitère piger.

XXVII. JOHANNES ANTONIUS MOTERUS  
 Darmbstatinus.

**H**Uc Motere movère: tibi hanc Thymbræus Apollo  
 Concedit laurum: hunc rex ætheris ipse pyropum.  
 Nunc tibi, nunc tacitam pertentent gaudia mentem,  
 Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat autor,  
 Temere velle scholas, doctosq; relinquere cœtus,  
 Degere more feræ, tales nec tangere curas.  
 Nofter eris: sunt hic etiam sunt præmia laudi.

XXIX. CASPARUS SCHARPFIUS BORCANUS  
 Hassus.

**T**Andem etiam, tandem Casparus Scharpfius, apud  
 Qui Cornuta potest monstra dolare, venit.  
 Ultimus es factus, Caspare, irascere? noli.  
 Namq; pares titulos primus & imus habent.  
 Æquè cum reliquis cathedram conscendis, & æquè  
 Aurea ferta capis, laurea ferta capis.  
 Pileus hic æquè tibi convenit, annulus æquè,  
 Caspare, equali laude magister ovas.  
 Antè appellavit te rustica turba Magistrum,  
 Pagana ut gereres virgea sceptrâ Scholæ.  
 Postea te legit fidum schola nostra ministrum:  
 Sic igitur duplici jure magister eris.  
 Ne doleas: gratis, gratis admissus es; istum  
 Invida pauperies fecit habere locum.

*Forſitan in media poteris ſtatione locari,  
Sors & pauperies te niſi deprimerent.  
Eſto quod es, Calpurne, libens tamen ultimus eſto,  
Equales laudes primus & imus habent.*

## IN GENERE AD OMNES MAGISTROS.

**J**Amq; adeo donati omnes de more vetuſto,  
Exornati omnes lauriq; auriq; coronâ,  
Et promoti omnes viginti octoq; Magiſtri,  
Plaudite, in aërias ducentes juba nubes;  
Sentiat à vobis afflictâ Eccleſia fructus,  
Sentiat à vobis res publica privaq; fructus,  
Sentiat à vobis Jurisprudencia fructus,  
Sentiat à vobis Medica experientia fructus.

Faxit Jheſus, Jheſus faxit & illud, & illud.

*Quod ſuper eſt, Cleſſi, docto dic carmine grates.*

*Cleſſi, pierias animos exculte per artes.*



## GRATIARUM ACTIO, HABITA

à MAGISTRO HENRICO CLESSIO

Windeccenſi.

**E**Xoriare aliquis cœleſti orator ab axe,  
Qui canat eximiæ nobile laudis opus!  
Nobile laudis opus dignè Cyllenia proles  
Tu cane; nectareo gutture laudis opus!  
Digna q; divinæ profer præconia laudis,  
Digna q; Principibus carmina funde viris!  
Nam mihi quàm preſſis mea Muſa labascat habenis  
Novi equidem: heu rauco murmure vena fluit!

F 2

Non

Non mihi se facilem, Phæbus, non turba Novena  
 Præstat, nec donis me beat illa sacris.  
 Sed quid Mœonidum fallentia numina posco?  
 O Triados sanctum tu mihi Flamen ades!  
 Ut dignas referam laudes pleno ore Jehovah,  
 Nempe *Rudolphe* tuas, & *Ludovice* tuas!  
 Lanicolæ ô igitur nova júbila tollite Musæ!  
 Omnis & Aonidum psallite turba Deo:  
 Psallite Giesseni cives, juvenesq; senesq;,  
 Psallite Virginei turba pudica chori.  
 Exulta ô nimium Giessena Academia felix!  
 Hac tibi namq; micant aurea secla die.  
 Amplius haud posthac depressis vallibus hæres,  
 Sed tua Teutonicos fama peragrat agros.  
 Antehac signiferi clarebas Martis amore,  
 Nunc autem felix Artis honore vires.  
 Rusticitatis opus durum perdura colebas,  
 Rastraq; tractabas: jam tamen astracolis.  
 Charus erat Corydon nimium, charusq; Menalcas,  
 Sunt jam delitiæ doctus Apollo tuæ.  
 Lanea non segnis quondam quæ fila trahebas,  
 Nunc Ariadnæum nobile tæxis opus.  
 O fortunatam Giessam, tua si bona nôtis  
 Inclyta, quæ reparant Cattica sceptrata tibi!  
 Sed tua quid remorans nova jura Academica cantem?  
 Jam fas est precibus conciliare Deum

Deo ter opt.  
 Max.

O Deus, ô superæ regnator & arbiter arcis,  
 Omnia qui nutu celsipotente regis.  
 O sacra Majestas, ô infinita potestas!  
 Cujus figmentum, cujus & ossa sumus.

Quas

Quas tibi pro meritis debemus reddere grates?  
 Quæ poterunt laudes dicere verba tuas?  
 Nam bonitate tuâ Giesfena Academia floret,  
 Florent & cætus hi, bonitate tuâ.  
 Servas nos inter tot fluctus torq; tenebras:  
 Protegis & contra tetrica monstra Pios.  
 Impia cœlesti pepulisti lampade Cingli  
 Somnia; Calvini dogmata vana fugas.  
 Quæ, me Christe, fuit facies miseranda tuorum,  
 Dùm luctu implebant compita quæq; suo!  
 Tunc cum Matre Dei visi plorare, Tulerunt,  
 Nec scio quò Dominum quò posuere Deum:  
 Eja meum Dominum retulere scioq; Maria  
 Quò Dominum Christum nunc posuere meum:  
 Eja datum, Musis fixas jam cernere sedes,  
 Eja datum est tuto ponere castra solo.  
 Nam vagus optatam passer sibi repperit ædem,  
 Et gratos errans struxit hirundo lares.  
 Et velut Halcyones turgent quando æquora pullos  
 Brumali excludunt frigore ritè suos:  
 Et sicut vernans rosa spinis semper acutis  
 Crescit odorifero ornata rubore viret:  
 Sic tua fluctifonis Ecclesia Christe procellis,  
 Sit licet infelix undiq; cincta malis;  
 Haud tamen opprimitur; caput inter nubila condens,  
 Cùm desævit hyems, ceu rosa verna viret.  
 Magne Deus nostrum hoc quòd das illustre Lycæum,  
 Laudibus accedit portio magna tuis!  
 Quas tibi nunc grates cœli moderator agemus?  
 Ah quæ debemus solvere vota tibi?  
 Nam tua magnificis meritò præconia summi  
 Laudibus implemus Solis utramq; domum.

En tua Majestas meritò rutilantia cœli  
 Tecta tenens, pedibus subdita quæq; tenet.  
 Semper honos nomenq; tuum, laudesq; manebunt,  
 O Deus, ô Superi duxq; paterq; thori.  
 Hinc chorus in tantum laudum præconia solvit,  
 Hinc sensit vires hostica turba tuas.

*Imperatori  
 Rudolpho  
 I I. Pio, Fe-  
 lici, Semper  
 Augusto.*

**O**utinam Andinas donet mihi Musa Camænas,  
 Ut cantem laudes *Dive Rudolphæ* tuas!  
*Dive Rudolphæ* tuas! ô invictissime Cæsar,  
 Quis tua pro meritis in clyta facta canat?  
 Qui summas Magni Mundi moderaris habenas,  
 Qui tangis gestis sÿdera clara tuis:  
 Quem penes est Legum nunquam violanda potestas:  
 Maecte bonis Animi; Corporis aucte bonis!  
 O salve Austriacis magnum & venerabile Numen!  
 O salve Austriacæ firma columna domus!  
 Te canet æternùm Cattorum serior ætas,  
 Te largitorem nostra Lycæa canent:  
 Quòd tua Majestas nostris Academica Musis  
 Jura dat, & Miseris otia grata facit:  
 Et facit, ut nostra hæc vigeant vireantq; Lycæa,  
 Gratiâ & Auspiciis Magne *Rudolphæ* tuis!  
 Magne *Rudolphæ* tuis! rumpantur ut ilia Momis,  
 Jure Academiæ nostra Lycæa cluunt.  
 Quantas, ô igitur tanto pro munere grates  
 Nominibus fundet nostra Thalia tuis!  
 Vivat Jò Cæsar semper felixq; piusq;,  
 Vincat & Imperium Carole Magne tuum!

*Illustrissimo  
 Principi ac*

**E**T tu Cattorum claro de sanguine Princeps,  
 Non laudendus eris? nonne canendus eris?|

Hæreo:

Hæreo! ut ambiguis animus luctatur habenis,  
 Utq; paratus is est; sic putibundus is est.  
 Carmine non magno non rectè magna canuntur,  
 Authorem dignum resq; stylusq; petunt.  
 Ergone deficiam tantarum in pondere rerum,  
 Nolit ut hac luctâ currere noster equus;  
 Non ita. Ubi vires desunt, supplere voluntas  
 Officium, & magnum vincere robur amat.  
 Salve ergo, ô rerum columen sublimè tuarum!  
 Salve Academiæ; Lux Ludovice, novæ.  
 Eja Pater Patriæ salve, salve optime princeps,  
 Salve Cattiacæ luxq; salusq; domus.  
 Scilicet illud iter pede jam premis arduus æquo,  
 Errat in auratis fama ubi picta rotis.  
 Illa etiam Eoo quâ ducit ab æquore currus  
 Sol, vel ubi occiduis præcipitatur equis.  
 Te latè vehet æternaq; in laude repostum  
 Ducet ad æterni fulgida tecta Dei.  
 Scilicet hoc virtus variisq; exercita curis  
 Sedulitas; illud cura laborq; petunt:  
 Cui tu non parcens accedis Cæsaris Aulam,  
 Et populo impertis publica jura tuo.  
 Salve ergo Aonidum non infima cura sororum,  
 A quibus & laudem, & nomina magna trahes.  
 Vive agedum Ludovice scholæ Fundator amata,  
 Et decus ex pecta, quod dabit illa tibi.  
 O fortunatam natam te Principe Gießam,  
 O salve Patriæ duxq; Paterq; tuæ.  
 O flore, ô salve atq; valet Celsissime Princeps,  
 Dum fulgent claro Lunaq; solq; polo.  
 Incolumis conjux tibi sit, sint pignora lecti  
 Salva; sit ô salvum quod tenet Hassa domus.

Dn. Dn.  
 Ludovico  
 Hassiæ  
 Landgra-  
 vio, &c.  
 Gießensæ  
 Academiæ  
 Fundatori.

*Illustrissimo  
Principi, Dn.  
PHILIPPO,  
Hassiae  
Landgravi-  
vio.*

**S**anguine prælustri quoq; tu Generose *Philippe*  
Natus, & æquali laude vehendus eris.  
Sis quamvis absens, peregrina ad regna profectus;  
Te tamen interea nostra Camœna canet.  
Nimirum cum Fratrem pius discedis amato,  
Cæsareæq; intras limina sancta domus.  
In laudes socius fraternas, in clyte Princeps,  
Fraternumq; decus, Fratrem favente, venis.  
Ut labor est vobis idem communis; honorum  
Præmia vestrorum sic quoq; sint eadem.  
Salve; Florebis, famâ super astra ferêris:  
Noscère Eois, Hesperiiisq; plagis.

*Illustribus  
& Genero-  
sissimis Co-  
mitibus.*

**A**t vos ô Comites Generosâ stirpe creati,  
Quêis genus & virtus par fluit à superis;  
Quàm vellem Andino caneret vos Mantua vate,  
Aut quæ Mœonio Smyrna superba viro est;  
Me sanè, qui nec Parnassi in culmine somnos  
Duxi, nec doctos cui dat Apollo modos;  
Ad tenues tanùm res, non sublimia natum  
Continet in circo Musa minuta suo.  
Tempus erit, cum vos Musarum scribet alumnus,  
Vestra ut clarescant in clyta facta polo.  
Nunc tantùm grates pro Adventu & munere tanto  
Mente hilari dico: & quo decet ore, cano.  
Accipite exili cantatas pectore grates,  
Non potis est nobis quæ decet, illa dare.  
Det Deus, ut sicut decorastis nostra trophæa  
*Sic vos exornent sydera clara poli.*


*Magnifico  
Dn. Rectori*

**O** salvete novi, salvete ô sceptra Lycæi,  
Carmine vos minimè prætereunda puto.

Te




Te mea præ reliquis, Rector clarissime, Musa  
 Dotes ob varias carmine grata canit.  
 Qui dextrè commissa tenes Academica sceptrâ,  
 Et regis Aonium, non sine laude, chorum:  
 Quas tibi reddemus tanto pro munere grates:  
 Pro candore tuo, proq; favore tuo?  
 En modò quem tulimus titulum, nomenq;, graduq;,  
 Magnificâ præstas pro bonitate tuâ.  
 Munera sunt nostro per te concessâ Brabeutæ  
 Inclyta, queis nobis tempora compta virent,  
 Te ferimus grato latè super æthera versu,  
 Da Deus, ut vigeant mitia sceptrâ Scholæ.



**S**Trenue vir, Catti qui Consiliarius audis  
 Principis, & nostras resq; Scholasq; juvas:  
 Te quibus eximiis animi virtutibus auctum  
 Carminibus, sicut jure merère, canam?  
 Musa obstat: revocatq; pedem Thymbræus Apollo;  
 Scilicet est laudis copia tanta tuæ.  
 Nunc igitur grates, quas possum dicere, dico,  
 Et precor à Christo mille salutis opes.

*Prefecto  
 summo  
 Darmstadi-  
 no, viro  
 strenuo &  
 nobilissimo.*



**S**Alve Pistori, qui Cancellarius audis  
 Darmstadii, & patriam voce styloq; juvas:  
 Tu quoq; Struppiade titulos & nomina posce,  
 Promeritumq; tua sedulitate decus.  
 Scilicet, ut quondam divini oracula Phæbi,  
 Bis, Roma à patria, quinq; adière viri:

*Amplissi-  
 mis Domi-  
 nis Cancel-  
 larius.*

G

Hoc

Hoc fine, ut leges & sancta statuta referrent,  
 Quæq; forent Clario non reprobata Deo.  
 Sic tu animum flammis studiorum incensus honestum  
 Visis Cæsareæ limina vasta domus.  
 Atq; ubi nostrarum diplomata sacra scholarum  
 Indeptus patriæfersq; referesq; tuæ.  
 Sed cum non digno laudari carmine possis,  
 Famam perpetuam laus dabit illa tibi.

*Nobilibus.* **A**T tu Nobilitas decoris quam gloria nostri  
 Evocat, atq; Scholæ suadet adesse novæ.  
 Seu tu Cattiacæ vivas bonus incola terræ,  
 Sive peregrinis partibus advenias;  
*Theologis:* Salve, & non verbis laudem hanc metire Poëtæ:  
 Nam tuamet virtus sat dabit alma tibi.

*Dn. M. Angelo.* **V**Os verò, quos sacra juvant divina, sacrisq;  
 Biblica sensa suis erudière notis;  
*Dn. D. Vietori Superintendenti- bus.* O tu qui nomen fers æquum moribus ipsis  
 Angele, ô Angelico confociande choro:  
*Dn. D. Leuchtero.* Tuq; etiam Superintendens dignissime Giesæ,  
 Prælustri, Vietor, qui pietate micas.  
*Dn. D. Winckelmanno.* O constans verbi Doctor Leuchtere sacrati  
 Darmbstatinam Aulam dogmata sancta docens.  
*Dn. D. Leuchtero.* Winckelmanno sacer commissi pastor ovilis.  
 Et *Menzere* sacri duxq; Paterq; gregis:  
 Tuq; ô divini præco dignissime verbi,  
 Herdeni, salve, vive, valeq; mihi.

Æthe.

Æthereis animos ducentes fontibus omnes,  
 Et virtute graves & pietate graves;  
 Accipite, ah grato depromptas pectore grates,  
 Suppleat & vires mens animusq; meas.

VOs quoq; qui vestros curâ atq; labore juvatis,  
 Fulcitis vestros consiliisq; Duces.  
 Seu Darmbſtadinæ sis Consiliarius aulae,  
 Principis Imperium consiliisq; juves.  
 Cùm defint vires, sit prompta parata voluntas,  
 Salvete; in magnis & voluisse fat est.

*Consiliariis.*

PONE tuos luctus; ferales exue lēssus  
*Kitzeli*, ô Claræ potor & altor aquæ.  
 Accipe, quas imo depromo pectore grates,  
 Solvere quas Musæ, quas vel Apollo queunt.  
 Sic tibi sit facilisq; Themis, facilisq; Jehova:  
 Felicemq; trahat Candida Parca colum.  
 Clareq; tu Doctor, quo te nunc carmine laudem?  
 Uberibus fovit quem Themis alma suis;  
 Huc Gießam externis Doctor qui allaberis oris,  
 Accipe inornatâ carmina dicta Lyrâ.  
 Vos quoq; Justitiæ mystæ fidiq; Clientes,  
 Quos nostræ attraxit splendida Fama Scholæ.  
 Salvete, & tenues vestro pro munere grates,  
 Carminaq; invito sumite scripta Deo.  
 Salve Nigidi, Doctor Clarissime juris,  
 Grataq; nunc gratæ munera mentis habe.

*Jureconsultis.*

*Dn. L. Joh. Kitzelio.*

*D. D. Henr. Nebelkræ.*

*Peregrinis Jureconsultis.*

*D. D. Petr. Her. Nigid.*

*Medico.  
Dn. D.  
Lauten-  
bachio.*

**T**U porro sollers tractare Machaonis artes,  
Defunctis superas & referare plagas,  
Tempore vir fausto, & longa dignissime vitâ,  
Nos ut honorasti, sic tibi cedat honos.

*Philosophis,  
Dn. Deca-  
no M. Con-  
rado Theo-  
dorico.*

**V**OS quoq; concordi studio paribusq; regentes  
Coniliis nostræ celsa theatra Scholæ:  
Clare Decane, animi syncerum exemplar honesti,  
Atq; tui custos lausq; decusq; gregis.  
Non levibus metris dicendi humiliq; cothurno,  
Si vena uberior fertiliorq; foret.  
Officium hoc curæ poscunt, variiq; labores  
Insumpti in nostris sæpius officiis.  
Verum erit, herois cum mentem adjecero verbis,  
Tunc meus & vestrum dicet Apollo decus.

*Dn. Pro-  
motori. M.  
Casparo  
Finckio.*

**O** quàm te memorem nostri Promotor honoris,  
Nobilitans Sophiam, nobilitansq; Scholam:  
Cui propè nunc omnes Sapia splendida Gazas  
Thesaurosq; omnes donaq; cuncta dedit.  
Sed tua te virtus ornabit dextime Præses;  
Hac unâ felix & benè dives eris.  
Hæc una æternum statuet tibi Nomen in orbe,  
Hæc immortalẽ sola sub astra vehet.

*Dn. M.  
Helvico  
Græca  
Hebr. ling.  
Profess.*

**T**E verò *Helvicum*, quæis digner honoribus? Uno  
Qui geminas linguas ore sonare potes:  
Certè, si nostræ par esset gratia linguæ,  
Si foret æqualis copia nostra tuæ:

Inciperem, & docto veherem super æthera versu,  
Eoisq; ires notus & Hesperii.

Quamvis hoc ipsum, me nil dicente, Camœnæ  
Istis pro meritis, & Deus ipse dabunt.

**T**U né etiam nostros versus, *Bachmanne*, requiris?

Cui quoties id vis versus ab ore fluit?

Crede mihi, soli lumen non fæneror; immò

Nec te, non doctâ concino, Phæbe, lyra.

Salvebis tamen, & tenui contentus honore,

Suscipies streperæ carmina lenta lyræ.

*Dn. M.  
Bachman-  
na. Poët. &  
hisor. Pro-  
fess.*

~~~~~

TU quoq; qui ignotus peregrinis pastor ab oris

Ad nostræ appropèras splendida festa Scholæ;

Accipe, quæ fundo rudibus dictata Camœnis

Carmina, & averfis edita metra Diis.

*Pastoribus
Peregrinis.*

VOs verò prudenti animo quicumq; Senatum

Gießenum, atq; urbis ritè levatis onus:

Nulla dies unquam delebit mentibus imis:

Gratiâq; hæc nobis integra semper erit.

*Senatui
Giesseno.*

VOs etiam Hassiacas urbes cum laude regentes,

Instructisq; animis consiliisq; graves:

Salvete ô decies, nostrasq; assumite grates,

Laudari à parvis nam quoq; magna solent.

*Senatori-
bus Pere-
grinis.*

AT tu quisquis ades peregrinis hospes ab oris,

Spectatumq; Scholæ jam nova sceptra venis.

Tuq; ô Giesseni pubes selecta Lycei:

Quæ cumulas patrium sedulitate decus:

*Exteris,
hospitiibus
& studiosis.*

Seu genere illustri, seu nobilitate corufces,
Sive inquilinus, seu peregrinus ades:
Æternùm salve, atq; vale: sic semper amica
Sors tibi fit; semper sic faveatq; Deus.

*Conclusio
ad chorum
Musicum.*

Nunc verò in nostro hoc actu vos quotquot adestis
Salvete; & si quem carmine præterii;
Illum disparibus permulcens vocibus auras
Dulciter & lepidè Musica grata canet:
Musica grata Deo; cane grates Musica cunctis,
Qui voluère novam nunc decorare Scholam.

Hic Musicà eleganti Actus finitus.

CARMINA SYNCHARISTICA;
CVM AB ILLUSTRISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPE
AC DOMINO, DOMINO

LUDOVICO,
HASSIÆ LANTGRAVIO, COMITE
CATTIMÉLIBOCORUM, DECIORUM, ZIGEN-
HAYNÆ & NIDDÆ, &c. Privilegia Academica Cæsarea
publicè solenni Actu Scholæ GIESSENÆ
conferrentur, &c.

M. CHRISTOPHORI HELVICI, HEBRÆO-GRÆCI IN
nova Academia Professoris.

Salve festa dies, Cattis venerabilis oris,
Qua nova consurgunt nobis Academica iura.
Salve festa dies, Cattis venerabilis oris,
Qua Musa exultant lata, Phoebusq; triumphat.
Exultate, Deus nobis hæc ocia fecit,
Et cantate, Deus nobis hæc ocia fecit.
Antipitem quorum tenuit dubitatio mentem,
Qui tantum sperare boni non hæc tenus ausi,
Exultate, Deus nobis hæc ocia fecit.
Rex Mundi omnipotens, operum mirabilis autor,
Quas tibi, quas dabimus devoto pectore grates?

Tu

Tu precibus nostris aures adhibere benignas,
 Tu sanctis voluisti equus benedicere caeptis.
 Hinc aeterna tibi resonant praeconia laudum,
 Quas nec Eoa tacet regio, nec limes obumbrat
 Hesperiusve, Arabiusve, nec horrida terminat Arctos.
 Eja Deum laudate, Deum facilemque bonumque,
 Cujus perpetuos clementia durat in annos.
 Ille suos mirabiliter deducere sanctos
 Novit, & optatum sessis ostendere portum.
 Ille suos à pernicie defendere novit,
 Ille suis est praesidium & fortissima turris,
 Ille, suum quicumque, sacratum nomen adorant,
 Qui spe confidunt firma, non deserit unquam.
 Eja Deum laudate, Deum facilemque bonumque,
 Cujus perpetuos clementia durat in annos.


CÆLI VATICINIUM,
 DE NOVA ACADEMIA GIESSENA,
 Ex Oda xv. lib. i. Q. Horatii Flacci; Pastor cum raperet, &c.
 PARODIA.

Princes cum peteret caelate Caesaris
 Diploma auxilio providus aureum;
 Illustri Comites addidit Angelos
 LUDVICO, & dedit hac pia
 Caelumfata: Mea ducis ope ad domum,
 Quod nullo rapiet, Barbarus impetu
 Conjuratus in hanc Sanctam Academiam,
 Doctam Giesidos & Scholam.
 Hinc o quanta Mibi, quanta Tibi hinc venit
 Laus! o quanta paras munera Cattica
 Geni! dum paleas spargis agrarias,
 Glumasque, & stipulas fugas.
 Omnino Angelico praesidio ferrox
 Temnes Barbariem, dignaque, Vatibus
 Insigni auspicio munera divides:
 Omnino Aonifin suas
 Sedes, & Clario domata praesidi
 Donabis, Sophiamque, & celebrem loqui

Enterpen, super hac Divus ad atheris
 Olim transferis domos.
 Hic Ludvici ad eximium tua
 Genti, quin & Arvi pectora conspicias.
 Laudant Magnanimi te Witebergicus
 Brennusque, & Tecius potens
 Armis, seu populos tendat ad extimos
 Non Heros minimus, Fatidicos quoque
 Nosces: ecce cupit te celebrare mox
 Vates Vate desertior,
 Quem Tu, CAESAR uti laudis adorea
 Dignum Virgilii lauricomum caput,
 Praelustri aspicias lumine blandior,
 Id quod pollicitus Bonis.
 Opportuna diem proferet HASIAE
 Patronisque, Soli messis amabilis.
 Post multas hiemes tollet Olympica
 Orbis Hassiacum genus.

M. Conradus Bachmannus, Histor. & Poet. Professor.

FINIS.



o T.
 ecorufces,
 inus ades:
 nperamica
 catq; Deus.
 vos quorquot adedi
 mine ptererii;
 ibus auras
 rata caner:
 fusica cunctis,
 ecorare Scholam.
 Thus finius.
 ARISTICA;
 ELISSIMO PRINCIP
 ARSO
 ICO,
 VIO, COMIT
 ECIORUM, ZIGES
 gia Academica Caelu
 GIESSENAE
 c.
 EBR. EO. GREGI
 soria.
 caura
 phat.
 ay,
 st

Or
ACTUS A

M. C.
F.
LOGICES
CUS

DE MODO
Antiquorum
omni

TI HONES
CENTIBUS

Anna M.
FINE ACC.
Jacobi D

GI
imprimet